DIDASCALIAE TERENTIANAE EXPLICATAE.

DISSERTATIO
QUAM SCRIPSIT
ET AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI
CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA
RITE IMPETRANDOS
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
DIE XIII. MENSIS. NOVEMBRIS A. MDCCCLXV
PUBLICE DEFENDET

ALFREDUS KOHL
ANHALTINUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
GUSTAVUS KESSLER, STUD. THEOL.
THEODORUS SIEBERT, CAND. PHIL.

HALIS SAXONUM,
TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIO-SCHWETSCHKIANIS.

PATRUO CARISSIMO

FERDINANDO KOHL

CUI GRATUM ANIMUM

SEMPER HABEBO.

Didascaliae Terentianae explicatae.

Pars prior.

Ad poesin dramaticam veterum auctorum illustrandam vix dici potest quanti aestimanda sint scripta illa exigui modo spatii, fere septenorum sive octonorum versuum, quae „didascaliae" graeco verbo nominantur. Quippe quae non modo poetae, cujus fabulam actam brevibus describunt, vitam ac poesin novis quibusdam rebus saepe clarius ante oculos ponant sed in primis ad rem scenicam pertinentia, quae aliis ex fontibus aut omnino non aut ex parte tantum nota sunt, multa cum auctoritate tradant. Dolendum igitur est harum didascaliarum minorem modo partem per temporum pericula ad nos pervenisse, quarum pleraeque recentiori demum aetate in lucem editae sunt. Omnium autem solidissimae et quae per tot secula jam cognitae erant aestimandae sunt Terentianae. Earum nulla quidem intercidit, sed tantum abest ut singulae omnibus partibus integrae sint (quanquam non tam corruptae atque mutilatae quam vulgo putant), ut cuique aspicienti diversitas lucide appareat. Quo magis est mirandum homines doctos eas per longum tempus rara cum negligentia praeteriisse et absurdissimis vitiis refertas iterum atque iterum textui praeposuisse. Antiquiores quidem editores nonnulla correxerunt, quales sunt Erasmus Juvenalis Badius Muretus Goveanus, sed vere correctiones perpaucas, paene nullas fecerunt, immo summa licentia, persaepe etiam inscitia egerunt communis formae omnium didascaliarum atque certae legis nulla habita ratione. Unus modo prioris aetatis virorum majore diligentia dignas putavit didascalias Terentianas et secundum eas ordinem illarum sex fabularum constituere conatus est: Samuelis Petitus in parvula commentatione „de ordine comoediarum Pub. Terentii", quam Westerhovius in editione (Haag 1726) recepit. Quod vero jam e titulo liquet, unam par-

tem modo e didascaliis sumpsit simulque, certe quod laudandum est, demonstravit Donatum a didascaliis saepe recedere. Haec igitur omnia nullius sunt pretii. In nostro demum seculo Ritschelius in parergis ad Plautum et Terentium viam munivit qua ingrediendum est. Qui quamvis in primo volumine, quod alterum nondum secutum est, non totas didascalias tractaret (nec tractare vellet) tamen singulis locis fere de omnibus partibus didascaliarum disputavit et vitia illa teterrima inde a media aetate in editionibus repetita sustulit verasque lectiones posuit et difficiliora explicavit. Monographiam solidiorem primus Geppertus dedit in Neue Jahrbücher f. Philologie Supplementband 18, et, quod semper primum philologi esse debet opus, textum secundum manuscripta emendavit. In eo substitit Geppertus; ad explicandum formam et partes didascaliarum nihil fere attulit: quod tamen summi est momenti et ad emendandum quoque desideratur. Illud igitur agam ut e didascaliis quales traditae sunt, Gepperti collationibus pro fundamento usus, principalem earum formam deducam atque in partes distribuam haud neglecta ubi opus erit a Gepperto discedere emendatione. Atque ut commodius omnia perspiciantur addam hoc loco Gepperti collationes quas l. l. dat.

Didascalia Eunuchi.

in Bembino:

incipit Eunuchus Terenti
acta ludis Romants M. Junio
Lucio Julio Aedilib. curulib. egit
Lucius (Ambivius) Lucius Hatilius praen.
tibis duabis dextris graeca
Menandru facta secunda
Modus Flaccus Marc
Valer Fann. cos.

in Calliopianis:

Acta ludis Megalensibus
L. Postumio Albino
L. Cornelio Merula
Aedil. cur. Egere
L. Ambivius Turpio
L. Atilius Praenestinus
Graeca Menandri
Facta secunda
Modulavit Flaccus Claudi
Tibiis duabus dextris
M. Valerio C. Fannio coss.

Didascalia Heautontimorumenu.

in Bembino:

Incipit heautontimorumenos Terenti
Graeca est Menandru acta Melagensib.
Lucio Cornelio Lentulo Lucio Valerio
Flacco Aedilib. curulib. egit
Ambivius Turbio modos fecit Flaccus
Claudi actae primum (tibis) inparib.
deinde duab. dextris factast tertia
Cn. Cornelio Marco Juvenio cos.

in Calliopianis:

Acta ludis Megalensibus
L. Cornelio Lentulo L. Valerio Flacco Aedilibus
Curulibus egere L. Ambivius Turpio
L. Atilius Praenestinus. Modos fecit Flaccus Claudi
Acta prima tibiis imparibus deinde duabus dextris
Graeca est Menandri facta III M. Junio T. Sempronio coss.

Didascalia Phormionis:

in Bembino:

Incipit Terenti Phormio
Acta ludis Megalensib. Q. Caspione
Cn. Servilio cos. graeca Apollodoru
Epidicazomenos facta est IIII.

in Calliopianis:

Incipit Phormio acta ludis Romanis
L. Postumio Albino L. Cornelio Merula Aedilib. curul. egere L. Ambivius
Turpio L. Atilius Praenestinus. Modos fecit Flaccus Claudi tibiis
Imparibus totam. graeca Apollodori Epidicazomenos. facta IIII. G. Fannio M. Valerio coss.

Didascalia Hecyrae

in Bembino:

Incipit Terenti Hecyra.
Acta ludis Megalensib. Sexto Julio Caesar.
Cn. Cornelio Dolabella Aedilib. curulib.
Modos Flaccus Flaccus Claudi tibis parib.
Tota graeca Menandru. Facta est V.
Acta primo sine prologo data secundo
Cn. Octavio Tito Manio cos.
Relata est Lucio Aemilio Paulo
Ludis funeralib. non est placita.

Tertio relata est Q. Fulvio
Luc. Marcio Aedilib. curulib. egit
Luc. Ambivius Luc. Sergius Turpio. Placuit.

in Calliopianis:

Acta ludis Megalensibus Sex. Jul. Caes.
Cn. Cornelio aedilibus curulibus.
Non est peracta.
Modus fecit Flaccus Claudi
Tibiis parilibus totam
Cn. Octavio T. Manlio coss.
Relata est iterum
L. Aemilio Paulo ludis funebribus
Relata est tertio Q. Fulvio L. Marcio aedil. curul.

Didascalia Adelphorum

in Bembino:

Incipit Terenti Adelphos.
Graeca Menandru acta ludis funeralib.
Lucio Aemilio Paulo modos fecere
Lucius Fabius Maximus P. Cornelius
Africanus. egere Lucius Hatilius Praenestinus
Lucius Ambivius Turpio modos fecit
Flaccus Claudi tibis serranis tota facta VI
Marco Cornelio Cethego Lucio Gallo cos.

in Calliopianis:

Acta ludis funebribus Aemili Pauli, quos fecere Q. Fabius Maximus, P. Cornelius Africanus. Egere L. Atilius praenestinus, Minutius Prothymus. Modos fecit Flaccus Claudi tibiis sarranis. facta VI. graeca Menandri. Anicio M. Cornelio coss.

Antequam de re ipsa dicere instituo obiter moneam de pretio codicum, cujus cognitio desideratur ad hanc quaestionem. Atque hic quoque Ritschelius primus accuratiore quaestione praeivit et in prooemio Vratislaviensi a. 1838 in classes digessit, unde patet semper Bembinum primum esse inspiciendum neque ab eo discedendum, nisi grave aliquid Calliopianorum codicum scripturam praestantiorem esse perspicuum facit.

Haec vero universe de manuscriptorum praestantia disputata etiam in didascalias universe cadere non dubium est. Sed tamen si accurate dijudicatur ratio codicum, quid praestent didascaliis per singulas partes, modificationes (ut hoc verbo utar) quaedam statuendae sunt. Quod melius erit differe ad eam partem libelli qua didascalias ipsas e codicibus eruerim atque ut potui explicaverim.

Geppertus singulas didascalias ita ut in codicibus scriptae exstant ordine tractavit atpue emendavit: qua via mihi non ingrediendum est. Quum mihi propositum sit magis versari in explicandis didascaliis, quomodo natae sint, quas partes habeant, nec arte critica uti nisi opus erit ad rem exegeticam, alia forma magis arridet disquisitioni meae. Non ergo totas didascalias una contemplatione complectar, sed de singulis partibus quae in quaque didascalia reperiuntur ordine disseram ita, ut ex eo quod pro simili re in quaque didascalia scriptum est communem atque primitivam formam derivare possim.

Jam primo aspectu cuique patebit didascalias certam formam et certas partes habere quum numero tum ordine certo dispositas — quae forma quum per se generatim sit perspicua a priori constitui potest. Ritschelius eam ita describit (in parergis p. 267): 1) poeta et titulus fabulae latinae. 2) poeta et titulus fabulae graecae. 3) ludi quibus acta est. 4) auctores et curatores ludorum. 5) actores principes iidemque rectores gregis. 6) melopoeus. 7) genus musicorum. 8) numerus fabulae inter poetae opera. 9) consules anni. Recte quidem quod attinet ad numerum et significationam partium, sed o r d o earum varius est et qui primum tractetur pluribus verbis. Nam hunc quidem Ritschelii ordinem codex Bembinus in didascaliis habet Heautontimorumenu et Adelphorum plane eundem, neque exstat alius qui magis conveniat regulis artis logicae. Ceterarum autem Bembini didascaliarum si interrogatur quis sit ordo antiquissimus, Eunucho adscripta sola consideranda est: ad Andriam enim nulla omnino exstat didascalia, quum ipsum initium fabulae desit (etiam in Calliopianis codicibus, quod certe mirum videtur), ad Phormionem in brevius contracta atque ut videtur postea codici illata, didascalia autem Hecyrae longe alius est rationis describens non unam primam fabulae actionem, ut solent didascaliae, sed prorsus alia forma demonstrans ut bis exacta tertio demum steterit. Quod attinet ad ordinem didascaliae Eunuchi discrepantiae partim sunt ejusmodi ut errore tantum irrepserint, cujus generis est si legitur „tibis duabus dextris graeca Menandru facta secunda Modos (fecit) Flaccus“ cet., ubi nemo dubitare potest quin „tibis duabus dextris“ conjungendum cit cum „Modos (fecit) Flaccus“ secundum analogiam ceterarum didascaliarum. Sola verba „graeca Menandru“ et „facta secunda“ plane alium locum obtinent quamvis ipsa integra. Quod quomodo evenerit fortasse possit explicari. Ac profecto summi est hoc loco momenti Calliopianos codices Eunuchi didascaliam prorsus eodem Bembino habere ordine, tum in omnibus Calliopii didascaliis nomen poetae ac fabulae graecae cum numero latinae magis ad finem versus posita inveniri: quae omnia fortuito ita evenisse statuere non licet magnum consensum codicum, quo uterque ordo traditur, consideranti: immo concludendum est primum

principalem quendam, tum recentiorem ordinem exstitisse, quorum tamen primus non tam factus a quovis quam natus historice est; patet inde Gepperti opinio, qui duas vult redactiones, quam falsa sit, quum primus ordo vere redactio, quae hominem ordinantem poscat, nominari non possit.

Sed non longius procedere possum in disputatione de ordine didascaliarum, nisi ante originem earum attigi. Graecarum quidem originem Rankius in vita Aristophanis (ante Thierschii editionem Aristophanis) p. 158 demonstravit; sin autem judicat Romanorum didascalias scribendi morem ex imitatione Graecorum esse derivandum, dubitatio statim surgit: putat enim una cum tragoedia etiam morem didascaliarum Romam esse migratum. Ritschelius p. 320 comprobat Romanorum grammaticos originem didascaliarum cepisse e graeco more, sed contendit res ipsas tantum e commentariis magistratuum eos sumere potuisse. Vel hoc nimium videtur: Nam distinguendum est subtilius inter annotationes didascalicas, quae publice adjungebantur libris magistratuum, et inter libros didascalicos, qui a grammaticis adhibitis commentariis magistratuum edebantur. Quorum primum, mos didascaliarum, profecto non cum tragoedia romanos intravit fines: Romani enim certe nomina tragoediae et comoediae e graeco sumpserunt, verbum „didascalia" autem omnino non usurpaverunt. Praeterea in universum notum est monumenta, quae tradant memoriae facta gravia et sublimia a quovis populo cultioris animi fieri naturali quodam impetu, et hoc non modo de victoriis ingenio victis valet. Quod si cui altius videtur Romanorum illius temporis, quo fortissima egerunt bella, animis, alio quoque modo didascaliarum mos ita ut Romanorum maneat proprium deduci potest ex ingenio veterum populorum inclinante ad annotationem factorum gravium per literas; e judicio quo omnia quae majoris pretii praestarentur populo ac rei publicae praestita crederentur; excogitari demum possit magistratus, quorum curae adjudicati erant ludi, annotationes ejusmodi fecisse ad se ipsos illustrandos etiam apud posteros. Aliud autem prorsus est si de libris didascalicis, quales a grammaticis scriptos esse traditur, est sermo (Ritschelius p. 320 sqq. praestantissimos enumerat); jam enim e nominibus librorum apparet graeca exempla *) ante oculos habuisse auctores: habemus enim „didascalicon librum" Attii, „pinacem" Aurelii Opilii (secundum Callimachi *πίνακας* factum) alia. Postea vero grammaticos romanos singulas partes, quas in latinis non invenerunt, e graecis transtulisse eoque formam didascaliarum mutavisse negari non potest: est igitur quaerendum quid fuerit

---

*) Nam Graeci quoque praeter didascalias publice factas habuerunt scripta didascalica a grammaticis instituta — inde as Aristotelis *διδασκαλίαις*.

scriptum in commentariis magistratuum, quid additum a grammaticis: quod si exploratum habebo, etiam vis et ordo singularum partium recte dijudicari poterit.

Atque initio quidem satis sibi fecisse veteres credibile est, dummodo quae sint ante omnia necessaria annotata habuerint: nomen poetae et fabulae, ludos quibus acta est fabula, auctores ludorum, actores principes (s. actorem principem) et melopoeum cum musicorum genere — quibus omnibus addebantur, ut temporum ratio sit perspicua, consulum nomina, quae, ut solet fieri in chronologicis enarrationibus Romanorum, in fine ponebantur forma ablativi absoluti. Jam vides enumeratione mea et fabulam graecam graecumque poetam et numerum fabulae excidisse. Numerum fabulae quidem jam pridem (cf. Ritschl. p. 322) constat grammaticos secundum analogiam graeci usus addidisse. Quod idem mihi de exemplare et poeta graeco valere videtur (quanquam non, ut planum est, secundum analogiam graecam) — et sic etiam Ritschelius p. 93 ann. obiter conjicit. Nam principio Romani nihil aliud voluerunt quam ut literis mandarent quae in theatro audiverant atque viderant praecipuo studio: nomen fabulae et poetae, ludos quibus acta erat, curatores ludorum, actores principes, musicorum modos et qui eos fecerat. Unde sumpta sit fabula, id non curabant parum literis imbuti: satis erat si populus oblectaretur, magistratus auctores voluptatis magni aestimarentur; fabulae autem graecae enarratio magis pertinet ad historiam literarum.

E Terentii verbis, quibus in prologo Andriae se excusat quod non argumentum narret, lucide apparet ante eum usitatum fuisse ut prologo argumentum tantum referretur. Terentius quidem quidem in quoque prologo graecam fabulam commemorat, sed commotus gravissimis causis, nempe convicia inimicorum publice sibi illata publice quoque sibi defendere seseque purgare coactus erat et quomodo rem confecerit explicare. Quod autem huic quoque totum in eo erat ut sese defenderet, non ut doctrina augeret populum, pro eo stant prologi ad Phormionem et Heautontimorumenon (primus Hecyrae prologus huc non pertinet, quippe qui de secunda agat actione fabulae), in quibus poetae graeci nomen prorsus deest. Quae quum ita sint tamen non adducere debuissent Ladewigium (ad Volcatii Sedigiti canonem p. 14), ut aetate Terentii Menandrum majori parti Romanorum jam notum et fabulas ejus in lingua originali legi solitas fuisse statueret. cf. Ritschel. p. 302 ann. Modo hoc opponam, ut Scipiones cum familiaribus suis, qui studio artium et literarum (in primis graecarum) florebant, ut rarum quoddam illo tempore aestimarentur. Locus prologi ad Heautont. v. 7. sqq., ex quo Ladewigius illam conclusionem fecit

„nunc qui scripserit
„Et quoia graeca sit, ni partem maxumam
„Existumarem scire vostrum, id dicerem.“

quod mihi videtur potius ad Scipiones eorumque amicos referendus est, tum ad omnes eruditos homines qui literis graecis operam navabant. Quos majorem partem populi fuisse nimime est contendendum, „maxumam partem“ est „bonam partem“ sive „satis magnam partem.“

At vero locus ille non ita relinquendus est, exstant alia in eo quae desiderent explicatione. Verba enim „ni partem maxumam existumarem scire vostrum“ demonstrant populum ante ipsam actionem fabulae de fabula graeca certiorem non factum esse. Si quis accurate perspicere hunc locum vult, aliam ante quaestionem instituere coactus est hanc, num romano populo argumentum ludorum scenicorum indicatum sit et quomodo id fieri soluerit, i. e. num Romani tale quid habuerint quod nos dicimus „Theaterzettel.“ Atque solus qui ad hanc rem facit locus ex antiquitate invenitur in Donati libello „de tragoedia et comoedia“, qui quanti sit aestimandus optime Ritschelius p. 301 sqq. demonstravit, quare paucis rem absolvere possum: Donatus sibi excogitat „antecedentem titulum ante fabulam agendam pronunciatum esse.“ Cujus rei vanitatem Ritschelius ad oculos demonstravit simulque in mentem revocavit secundum Langium in vindiciis tragoediae Romanae p. 45 Donatum totum illum locum e Ciceronis academicis II, 7, 20 sumpsisse. Certe non credendum est auctores ludorum neglexisse ut populo ante dicerent quid visurus, quid auditurus sit. Habebant Romani libellos munerarios quibus ludi gladiatorii indicabantur, sed dubium est an ludis scenicis quoque adhibiti sint; habebant et tesseras quae aditum ad theatrum patefaciebant: sed et libellos illos et tesseras Plauti Terentiique temporibus nondum usitata fuisse Ritschelius p. 303 ann. demonstravit. Certum aliquid de tota hac re cognitum non habeo.

Locus de quo egi primo aspectu multum prodesse videtur in quaestione graecane fabula principalis didascaliae pars fuerit an addita post, sed magis pertinet universe ad didascaliarum usum. Attamen alia ex parte affirmat quae supra dixi, Terentium pro sua parte modo graecam fabulam addidisse. Secundum Ritschelium p. 234 ann. Plauti aetate homines studio tantum audiendi et videndi aliquid novi et splendidi theatrum visebant et de comoedia graeca quam vertit poeta latinus non curabant; Terentii vero aetate rata pars prologi erat fabula graeca. Quorum primum subscribo, alterum nego. Conclusit Ritschelius sine dubio e prologis Terentianis, sed ubi Terentius graecam enarrat fabulam, semper certam causam habet eam (cujus breviter jam mentionem feci), ut inimicum malivolum, veterem poetam Luscium Lanuvinum, qui poetae juveni solutiore volanti animi cursu

invideret, sibi defendat populoque viam qua ingressus sit in vertendo exemplari graeco patefaciat. Ipsa verba quibus utitur poeta comprobant quam nova sit ejus ratio. Narrat enim de fabula graeca semper tantum modo, quantum opus est ad defendendam invidiam inimicorum: qua in re in primis est qui valeat locus in Phormionis prologo v. 25. 26 nomen graecae afferens comoediae, sed tantum nomen non poetam, et hoc quidem gravi ex causa, quia fabulae prorsus aliud nomen indiderat idque populo excusandum putat. Praeterea in prologo Adelphorum graecam fabulam plane omittit, quae quamvis eodem sit nomine itaque commemoratione non egeat, tamen poeta graecus nominandus fuisset. In Heautont. prologo vero, ubi graeca fabula, quum sit ejusdem nominis, non opus est ut tota „integra" (v. 4) conversa, satis habet si dicit maxumam scire eam partem spectatorum. Verba v. 7 de quibus jam longius disputavi ex eo quod modo dixi optime explicari possunt. Adhuc coactus erat invidia inimicorum spectatores certiores facere de fabula graeca et permultis rebus, quae ad poetae ipsius pertinent negotia, nunc autem non opus est tot verbis paucisque absolvi potest res. Atque hic quidem monendum est, ne in errorem incidant interpretes neque ut solent „qui" (scripserit) pro nominativo singularis positum esse judicent. Si tale Terentius diceret, sequeretur usitatum fuisse sibi nomen suum profiteri in prologis: et ipsum contrarium semper invenitur, quum semper nomen paene anxie vitet, cujus rei exemplum inter tot alia est gravissimum in Phorm. prologo v. 25. 26, quo loco non se graeco poetae, sed Latinos Graecis opponit, consilio ut suum vitet nomen sub oculos cadente. Immo interpretandum est „qui" pro ablativo = „quomodo", et „scripserit" spectat ad poetam ipsum ut „voluit" v. 11 „fecit" v. 12 cet. Atque nunc quidem omnia recte se habent et omnino affirmationi est locus sententiae meae Terentium graecam fabulam non ut solitam partem sed a se sua causa addidisse. Ritschelius (l. j. d.) causam fabulae graecae nominatim afferendae ponit in literarum studio jam crescente et incipiente comoediae graecae cognitione. Recte quidem, sed accedit altera gravior et quae magis in promtu jacet causa: Terentii prologis assuefacti spectatores longiore poetae explanatione de fabulis quomodo converterit sensim traducebantur eo, ut ipsi exemplaria illa graeca cognoscerent et cum latini poetae fabula compararent. Inde a Terentio igitur, qui tamen ipse tale quid efficere non in animo habebat, poetae comici servabant declarationem fabulae graecae et incepit populus romanus delectationem ex graecis capere comoediis. Cum quo convenit optime prologos qui servati sunt Plautinos, spurios secundum Ritschelium et initio seculi VII a. u. (paullum post Terentium) compositos, majore ex parte habere graecam fabulam. cf. Ritschel. p. 324 ann.

Paullo diutius moratus sum in loco illo prologi Heautont., qui quamvis non prorsus comprobet caput sententiae meae tamen quum per se est dignus explicatione tum hoc saltem demonstrat, et fabulae graecae commemorationem in prologis nondum ratam et ipsam cognitionem ejus rei populo illius aetatis insolitam fuisse, tum pronunciationem, si re vera de aliis partibus didascaliarum usitata fuerit — quod non prorsus negari potest —, tamen de fabula graeca nullam exstitisse.

Venio ad argumentum, quo potissimum adducor ut graecum exemplar posterioris aetatis additamentum existimem: Invenitur diversa horum verborum collocatio in didascaliis codicum, quae non aliter explicari potest nisi eo quod dixi. Geppertus statuit quidem duas redactiones didascaliarum (cf. p. 6), sed non explicat quomodo factum sit ut secunda iniretur et eam putat priorem quae mihi posterior videtur. Nam positum est „graeca Menandru (s. Apollodoru) cet.“, nisi excipit titulum latinae fabulae, semper una cum „facta cet.“ in ulteriore parte didascaliae ante consules. In Eunuchi modo didascalia (et in Bembino et in Calliopianis) utrumque ante musica invenitur, sed hic solum ideoque errore quodam factum erit musicorum enarratione alias semper sequente actorum. Sed hic quoque una leguntur. Vel Phormionis didascalia Bembini mirum quantum contracta duas illas partes quamvis post consules tamen una positas exhibet. Etiam transpositio earum exstat in Calliopiana ad Adelphos didascalia, ut „facta cet.“ praeeat „graeca cet.“ sequatur, sed semper una inveniuntur. Finem igitur versus didascaliae exstant scriptae eae partes in Bembini didascaliis ad Eunuchum (transpositione necessaria facta quam supra dixi) et Hecyram, in Calliopianis omnibus integris (ad Hecyram minus est integra neque habet omnino illam enarrationem). Est ergo hic ordo firmissimo comprobatus testimonio ita, ut ex errore librarii non derivandus sit, immo egeat explicatione diligentiore. Quae non aliter dari mihi videtur posse ac si statuitur d u a s i l l a s p a r t e s a d j e c t a s e s s e f o r m a e d i d a s c a l i a r u m a n t i q u i s s i m a e i n f i n e. Collocatio autem ante consules facile exponi potest: grammatici qui didascalias colligebant singula exscribebant e commentariis magistratuum ita ut scripta erant, addebant supplementa sua, denique consules, quorum nomina juxta adscripta invenerant ut temporum descriptionem, ponebant in fine. Alii tum grammatici, ut rectam seriem partium constituerent, graecam fabulam statim post latinam inde conversam collocabant, „facta cet.“ in fine linquebant ut quod nihil in actione fabulae, plus in historia literarum valeret. Qui ordo λογικώτερος quidem est, sed ea ipsa re recentiorem sese profitetur: ubique enim inveneris transitum esse a minus logice dicto ad magis, non vice versa. Quamvis antiquissimus ille et quasi naturalis ordo ἄλογος minime possit dici per se, rectius jam si ut scriptum

magna cum diligentia judicaveris totam didascaliam; per se enim ratio adhiberi poterat primum repraesentationem ipsam, qualis sub oculos cadebat, describere, tum annotationes ad historiam literarum pertinentes ut complementa adjungere; in opere vero didascalico principalis ille ordo servari sed minime institui poterat. Ut quisque didascalias quas intulit codici sumpsit ex uno sive altero libro didascalico, ita uno sive altero usus est ordine, qua re minime contendendum est codicem et fabulam cui adscripta est didascalia *) quo vetustiores sint eo vetustiorem quoque ordinem partium didascaliae habere. Bembinus ergo duas didascalias rectissime dispositas (ad Heautont. et Adelph.) e fonte non plane integro hausit, quo ordo jam mutatus erat; sed non concludendum est ex hac re singula Bembini verba non ejusdem esse auctoritatis, cujus alias est codex propter vetustatem, et Calliopianorum codicum verbis esse postponenda. Res enim tota ex eo pendebat, quomodo grammaticus, cujus librum didascalicum sequebatur librarius Bembini, exemplar suum redderet, et haud alienum erit credere eum singula verba non mutavisse. Grammaticus recentior didascalias magis ad primam earum formam convenientes reddere poterat quam vetustior: id plane constat. Plura de Bembini auctoritate in didascaliis postea sequentur.

Sed fortasse quispiam dixerit, recte puidem me disputavisse partes duas illas postea esse additas, sed tamen credi posse eas non a grammaticis demum illatas sed jam ad ipsas commentariorum magistratuum didascalias adjunctas esse. Quod facile mihi videtur refutandum: Concedendum est profecto magistratus, quibus cura illa inscribendi erat mandata, eruditione magis atque magis increbescente commoveri potuisse studio artium literarumque ad addenda illa; sed et ingenium indolesque populi romani ad servandas magis res usitatas propensum repugnabat tali mutationi antiquae formae, et — quod certe gravius est — haud multum jam post Terentium in lucem profe rebantur libri didascalici (ut Varronis liber „de actionibus scenicens"), in quibus graeca fabula erat. Eos cognitos habebant Romani cultioris animi; si igitur utique volebant addere graecam fabulam, non opus erat priscam didascaliarum in commentariis publicis formam mutare, sed certam habebant eam partem in libris grammaticorum.

Praeter quae dixi nihil est quod de ordine generatim disseram: omnes enim quot traduntur didascaliae unum habent quos enumeravi duorum ordinum. Nisi hoc forte commemorandum est Geppertum p. 580 consules ultimam partem positos

---

*) e. g. in codice palimpsesto Plauti inventa (quam Ritschelius Sticho Plautino adjudicat, Geppertus autem Adelphis Terentii — quo jure quisque, hoc loco non quaerendum est) quae habet ordinem recentiorem.

dolere ut minus logice factum ideoque ante „facta cet.“ collocare. Quod nihil aliud est quam (ut ejus verba sequar duas redactiones referentia) tertiam facere redactionem, cujus nullum est pretium discedentis ab omnium in omnibus integris didascaliis codicum summo consensu. Modo hoc est quaerendum, ut formae didascaliarum historia apud veteres principalisque forma ipsa constituatur et causa cujusque status explicetur, non ut novum aliquem afferamus. Atque quomodo evenerit ut consules ultima pars didascaliae enumerentur, de eo jam p. 7 est dictum.

Duae sunt quae si ordo consideratur accuratiore egeant disputatione didascaliae, ad Phormionem in Bembino et ad Hecyram in omnibus codicibus, quarum prima est in brevius contracta, altera longius dilatata.

Prima igitur sit de qua disseretur, quomodo nata sit et redacta in hanc formam, Phormionis didascalia: Ritschelius p. 292 affert eam ut in primis conspicuam mutilatione a traditione illata. Sed tale quid de ea statuere nolim: videtur potius suppleta et consuta, et hoc quidem e consulum collocatione sequitur. Plane non abhorret putare falsam partium collocationem a librariis fieri potuisse (ut in did. Eunuch. Bembini), sed alia tamen res est si ipsi consules semper in fine totius didascaliae positi alio inveniuntur loco, praesertim quum, ut hoc loco, plane diversi sint a ceterorum manuscriptorum consulibus. Quod si quomodo evenerit omnibus in rebus explicari non potest, tamen satis habeo argumentorum, ut quae supra dixi probare possim: Verba

> „Terenti Phormio acta ludis Megalensibus Q. Caspione Cn. Servilio cos.“

hoc ipso ordine e libro quodam didascalico sumpta esse possunt. Referenda sunt, quod e consulum nominibus apparet, ad secundam fabulae actionem, et ad posteras actiones didascaliae non tam verbosae erant quam ad primam, quod jam e re ipsa patet et in primitivis didascaliis jam ita erat: iisdem enim verbis complexae partes non solebant repeti (quod postea uberius erit explicandum). Quod autem jam in ipsis didascaliis factum erat, id eo magis usurpabatur in libris grammaticorum, quo liberius quisque a suo ingenio agebat. Permultum habet probabilitatis grammaticos in libris didascalicis omnes quas invenerint ad unam spectantes fabulam res didascalicas et de quaque actione enumeravisse, quoniam summum in eo putarent, ut omnes quos experta esset fabula casus summatim exponerent. Quae quum vellent melopoeum et genus musicorum modo semel scripta inveniebant jam in commentariis; persaepe autem et iidem actores nominati erant eosque item modo semel scribebant; graecam autem fabulam et numerum fabulae latinae semel tantum ad-

debant, itaque posterarum actionum didascaliis haec tribuenda erit forma: titulus et poeta fabulae latinae, ludi, auctores ludorum, consules — et has partes eodem ordine habent verba de quibus et quaestio; auctores tantum ludorum desiderantur, quod probare videtur quam festinanter et leviter sint illatae post librum jam confectum didascaliae. Quomodo vero factum sit ut didascalia posterae cujusdam actionis fabulae praeponeretur, id jam in propatulo est e ratione supra commemorata, qua disponebant grammtici didascalias in libris suis. De qua re longius disputata vide infra.

Altera pars didascaliae in fine posita „graeca Apollodoru „Epidicazomenos facta est IIII“ sunt ipsa verba, quae additamenta grammaticorum conatus sum demonstrare — adjecta sine dubio, fortasse a prima jam manu. Geppertus p. 580 hac didascalia utitur argumento sententiae suae numerum fabulae post consules et in ipso fine esse ponendum, quod vel ideo est rejiciendum, quod didascalia una eaque parum integrae formae solum argumentum sententiae nullo modo esse potest.

Multo diutius est morandum in didascalia Hecyrae, quae quomodo composita sit si exploravero, etiam ratio repetitarum fabularum magis perspecta erit. Fabula enim bis exacta est, tertio demum stetit, et didascalia omnes hos casus refert, composita scilicet ex tribus didascaliis a grammaticis. Post quamque actionem omnia quae solito fiebant inscribebantur commentariis magistratuum et quae manebant verba omittebantur, melopoeus et musicorum genus. Interrogatur proximum num statuendum sit didascaliis principalibus etiam adscriptum esse fabula placuerit necne. Quod quamvis per se sit credibile tamen hac ipsa videtur refutari didascalia.

Nam nulla inest consensio in verbis quibus declaratur exactam esse fabulam: Bembinus de prima actione sive melius exactione omnino tacet, Calliopiani exhibent „non est peracta“; de secunda actione in Bembino exstat „non est placita“, in Calliopianis nihil; post tertiam vero actionem Bembinus habet „placuit“, Calliopiani nihil. Praeterea in Bembino „data secundo“ falso prorsus loco positum et omnino supervacaneum invenitur, tum quod item falso est collocatum „non est peracta“ in Calliopianis — omnia haec de casibus fabulae tam diversa faciunt, ut pro certo sit judicandum ea addita esse a posteriore quadam manu sive grammatici libri didascalici auctoris sive ejus qui didascalias codicibus inseruit. Quorum tamen prius probabilius est, quum grammatici didascalias non per annos dispositas intexerent libris, sed, quod magis erat consentaneum consilio totius libri ad historiam literarum pertinentis, cuique fabulae omnia de ea tradita adscriberent eoque historiam

et fabulae et poetae dilucidiorem redderent.*) Esse potest ut repetitae fabulae didascaliae additum sit „relata", quod etiam codices apud duas Hecyrae repetitiones consensu habent: exactam autem esse fabulam probabile est in ipsis didascaliis omnino non significatum, sed grammaticos aliam secutos esse traditionem, quam fere fuisse credibile est prologos, poeta si explosam fabulam retulit populo sine dubio novum prologum exoratorem (Hec. prol. II, 2) praemittente.

Memorabile porro est in Calliopianis codicibus actores omnino excidisse, in Bembino ad tertiam modo actionem referri. Non licet concludere ex ea re, ut Geppertus p. 564 (et quidem praecipue ex hac re) fecit, didascaliam Calliopianorum excerptum modo esse e Bembino sive fonte ejus: ut haec persuadear majore opus fuerit consensu inter utramque codicum classem. Calliopianos nonnulla quae in Bembino inveniuntur non habere nihil aliud probat nisi alio ex fonte eos hausisse; et singulas partes harum didascaliarum in didascalicis libris paullo longius inter se distulisse, id justa utitur causa, ex tribus diversis didascaliis confluxisse eas itaque facile evenisse ut gravioris momenti partes enarrarentur, levioris autem (ut actores) omitterentur et additamenta quoque (graeca fabula et numerus fabulae latinae) omnino non fierent. Quod autem certissime ex antiquissimis didascaliis non sumptum erat sunt verba „acta primo sine prologo." Quod ut posterius adjectum cuique, etiam qui minus perspecta habet omnia, in propatulo est. Principales didascaliarum partes tenui admodum verborum copia, paene ut inscriptiones quae vocantur, compositae erant neque patiebantur tale supplementum nec actioni ipsi nec historiae fabulae ita grave afferens momentum. Qua re dubitari vix potest quin tota sint derivanda e prologis illa verba et post a quodam adjecta. Servati enim sunt duo ad Hecyram prologi, ad secundam et tertiam actionem, ut e verbis ipsis facile intelligitur: quod satis erat ut grammaticus didascalias colligens adduceretur ad credendum primae actioni praecedentem prologum omnino non exstitisse, praesertim quum in primo quem invenit prologo nomen afferatur fabulae, quod apud jam semel actam supervacaneum videri potest. Plane non possum intelligere qua ex causa Terentius ad hanc fabulam prologum, certam totius fabulae partem apud Romanos et qui ei admodum opus erat ad arcendos inimicorum impetus, nullum scripserit. Immo hoc mihi habeo persuasum: Terentius ad primam fabulae actionem, ut solebat ipse et omnes ceteri poetae comici Romanorum, composuit prologum, qui, quod conjectura assequi licet, quum simpliciter esset conversa fabula ex una graeca ut Heautontimorumenos, simile quid prologo He-

*) Verba „non est placita" et „placuit" jam Pighius annales p. 413 glossemata censet, sed aliis ex causis.

autont. continuit, non de hac ipsa fabula quomodo converterit explanationem et defensionem, sed in universum magis inimicorum propugnationem. Fabula postquam exacta est quinque annos neglecta jacuit, tum tota retractata (cf. Hec. prol. I, 5) et novo instructa prologo, non qui de impetu inimicorum sed, quod magis erat necessarium, de infortunio fabulae in priore actione egit aequioresque ut sint spectatores precatus est, iterum in scenam est producta. Neque nunc placuit. Sed Ambivius, dominus gregis idemque primarum actor, iniquo ferens animo tam egregium poetam tanta vexari injuria spectatorum, rursus dedit fabulam illam eodem anno quo secundo erat acta prosperumque nunc demum deportavit eventum. Quae quum ita sint fieri aliter plane nequivit quin ultimus tantum prologus integer pervenerit ad posteros, quoniam scriptus esset ad proprie justam actionem qua demum placuit fabula. Atque primus quidem prologus totus est interceptus ut omnino nullius pretii post exactam fabulam, praesertim quum postea ita sit reficta comoedia ut „plane pro nova" (prol. I, 5) esset.

Quod autem ne vestigium quidem ejus ullum reliquum est, explicatur e spatio longo quinque annorum inter primam et secundam actionem interposito. Ut vera quoque addam testimonia, quod fieri potuerit plane invanescere tales prologos, mentionem modo faciam Plauti, cujus fabulae fere omnes antiquissimos jam non exhibent prologos (quod Ritschelius in parergis acute demonstravit). Quin ad secundam actionem prologus non totus sed satis mutilus est servatus, quanquam eodem tertiae anno secunda actio facta neque fabulae forma ulla ex parte mutata est. Secundus hic prologus (in manuscriptis primus) exorditur a nomine fabulae, quod nihil habet quo offendaris, si perspexeris per quinque annos a scena afuisse fabulam eoque e mente hominum evanuisse, sed nunc demum „plane pro nova" referri. Tertius autem prologus quem ipse Ambivius egit*) integer ad nos pervenit (secundus in codicibus). Ex quo ipso prologo sine dubio illud „acta primo sine prologo" Bembini est sumptum, quod in Calliopianis non inest. Etiam cetera vocabula „data secundo" „non est peracta" „non est placita" „placuit" eodem ex fonte sunt derivanda. „Relata" quoque revocari possit inde, quum v. 21 dicatur: „Hecyram ad vos refero", sed tamen verisimilius est, quod jam p. 14 dixi, repetitae fabulae didascaliae esse praepositum „relata (est)" — cui sententiae etiam consensus codicum in hac voce favet.

Quamvis tres actiones contineat haec didascalia, tamen semel tantum c o n s u l e s enarrantur; qui quidem ad quam actionem spectent, dubitari possit ita, ut errore librarii a recto loco

---

*) quod in manuscriptis est indicatum verbis praepositis „L. Ambivius Prologus"

transpositi sint, nisi consensus codicum eadem nomina eodem loco referentium et aediles necessarium facerent eos sumere ad primam actionem. Desunt igitur secundae et tertiae actionis consules. Cujus rei ratio fortasse intelligitur ex eo, quod duae illae actiones eodem factae sunt anno iidemque igitur consules post utrumque „relata" ponendi fuissent, qua de causa ambo exciderunt. Adde quod Adelphi iisdem Hecyrae secundae actionis ludis funeralibus acta est eosdemque igitur consules in fine didascaliae habuit. Quae didascalia si in commentariis ante didascaliam secundo actae Hecyrae exstitit, quod credibile est, facile in Hecyrae secunda (et tertia) exscribenda iidem consules praetermitti potuerunt.

Neque aliter se habent actores, nisi quod his causa accessit ut non tanti esset momenti quod omitteretur. Multo enim longius fuisset ad quamque actionem fabulae actores quoque principes notare, ideoque semel tantum ponebantur vel a levioris animi grammatico facile prorsus omitti poterant — quod in Calliopianis factum est. In publice vero scriptis didascaliis actores hujus fabulae erant enumerati, id jam per se est perspicuum et affirmatur Bembino ad tertiam certe actionem eos afferente. Qui iidem etiam secundae poterunt adscribi, et ex hac ipsa re quaerenda est causa cur semel exciderint. Ipsa jam res docet quantum abhorreat a probabilitate in duabus ejusdem fabulae actionibus ejusdem anni mutatos esse actores. Nominantur ad tertiam actionem „L. Ambivius L. Sergius Turpio" in Bembino, falso scriptum pro „L. Ambivius Turpio L. Sergius." Ambivium secundam quoque rexisse actionem prologus ipse affirmat. Et erat haec actio „ludis funeralibus Aemilio Paulo", quibus et Adelphi est edita. Sunt autem ad Adelphos actores secundum didascaliam „L. Hatilius Praenestinus Minutius Prothymus"*). In omnibus praeter has ipsas Hecyram et Adelphos fabulis Terentius Ambivio et Hatilio utitur actoribus principibus, neque intelligi potest cur Ambivius, qui tanta pietate coleret poetam (cf. prol. II. ad Hecyram), in Adelphis non egerit alteraque ex parte Hatilius non in Hecyra. Quae omnia egregie quadrant, dummodo reputes animo utramque fabulam iisdem ludis actam esse: Ambivius, vere ingenuo animo vir, in honore posuit sibi fabulis exactis, quarum tamen praestantiam cognitam haberet, tandem parare meritam approbationem, et libenter collegae Hatilio dedit docendam novam fabulam: tum quisque pro sua parte sibi alium quendam excellentem actorem elegit ut secundas ageret. Forte dixerit aliquis, cur tandem non ambo in una Hecyra fabula egerint; sed ad id quidem facile potest responderi: Ut no-

*) „L. Ambivius Turpio" quem pro hoc habet Bembinus errore modo librarii alias semper Ambivium invenientis admissus est; neque enim Calliopianos finxisse Minutium possibile est.

vam fabulam Adelphos favente animo exciperent spectatores, unum duorum praestantissimorum actorum eam docere opus erat, quod hoc loco obtigit Hatilio, quum Ambivius quoquo modo prius vellet Hecyram ad justam redigere victoriam. Sane per se nihil obstat, quin unus actor iisdem ludis complures egerit fabulas (compluribus enim diebus fieri potuit); est igitur judicandum praeparationes ad fabulas agendas illud non permisisse, auctores ludorum compluribus actoribus facultatem parandi sibi aliquid pecuniae voluisse dare — sive tale quid.

Audacius jam paullo est statuere duas illas fabulas eodem die esse actas eoque actorem eundem utramque agere non potuisse. Quod quolibet modo sit, illud tamen certum habeo non aliter ac dixi explicari posse, cur receptus sit novus actor unus ad utramque fabulam agendam et tantum hic receptus sit. Ambivius igitur, ut quae dixi complectar, quum apud secundam Hecyrae actionem solitum collegam Hatilium non haberet, nihil probabilius est quam quocum eodem anno in ipsa hac fabula egit eundem L. Sergium in secunda quoque actione eum habuisse collegam. Et rursus Ambivium quum tertio produxit fabulam non quem habere solebat cooptavisse socium Hatilium ex eo sequitur, quod ea actio eodem anno erat quo assueverat L. Sergio. — Primae porro actionis actores dimidia ex parte sunt cogniti e secundo qui exstat prologo, Ambivius nempe. Jam tum quoque eum Sergium habuisse collegam non credibile est, quoniam semper alias cum Hatilio ageret. Nihil igitur est impedimenti, quamvis nullus sit testis ejus rei, quominus primae actioni multum ante secundam factae praeter Ambivium praefuisse Hatilium judicetur.

Tali modo de ordine et omnibus rebus quae a fixa didascaliarum norma magis discedunt quum satis disputaverim, ad s i n g u l a s d i d a s c a l i a r u m p a r t e s ita ut traditae sunt ordine pertractandas me convertam.

Atque primum est de quo agatur t i t u l u s qui proprie nominatur i. e. n o m e n f a b u l a e l a t i n a e e t p o e t a e. Quamvis duo tantum verba tamen statim de ordine eorum surgit quaestio, quae oriunda est ex Donato. Refert enim hic grammaticus in libello quem scripit „de tragoediae et comoedia“*) (praeterea pluribus praefationum ad Terentii fabulas locis similia dicit): „In plerisque fabulis ipsarum nomina priora ponebantur quam „poetarum: in nonnullis poetarum quam fabularum. Cujus moris „diversitatem antiquitas probat. Nam cum primi aliqui Fabulas „ederent, ipsarum nomina pronuntiabantur antequam poetae „pronuntiaretur, ne aliqua invidia a scribendo deterreri possent.

*) a Westerhovio in editione Terentii recepto.

„Cum autem per editionem multarum poetae jam esset auctoritas „acquisita, rursus priora Poetarum nomina proferebantur, ut „per ipsorum vocabula fabulis attentio acquireretur." Omnia haec verba diligentius si consideras, statim apparet quam sint longe repetita et contorta. Certus initio eorum duorum erat ordo verborum, id minime dubium est, sed non consulto a quopiam sed naturali quodam modo factus: plane ut totius didascaliae primus ordo. Primum semper est quod scire cupimus, quid visuri simus vel (hoc loco) viderimus; a quo sit factum illud postea quaeritur; et scripta nostra quae nominamus „Theaterzettel" plane verum et nativum hunc ordinem exhibent. Fabulae nomen est notā quasi qua utimur si meminimus, una enim modo ejusdem nominis exstare solet fabula*), unum autem poetam multas scribere fabulas moris est. Ita ut dixi verba inscribebantur commentariis magistratuum, et ut fingas aliter factum esse, tamen minime ex Donati quam affert causa fieri potuit, quum promulgatae non sint didascaliae commentariorum. Aliud prorsus est in grammaticorum libris didascalicis: qui quum scripta omnia unius poetae deinceps referrent, facile evenire potuit ut quo uno quasi aspectu omnia possint percipi poetae anteponerent nomen. Donatus quidem ubi de hac re disserit non ipsas dicit didascalias sed pronunciationem ludis praemissam, sed jam commemoratum est Terentii temporibus talem non factam esse pronunciationem, et — quod magis valet — in promptu est certa plane atque indubitata refutatio: inveniuntur enim inter inscriptiones quae vocantur etiam tesserae, quae aditum ad theatrum patefaciebant, et in iis nomen poetae est postpositum — tempore quo ipsi poetae jam mortui erant. Qua re vetustioribus fontibus usum esse Donatum non credibile est, sed potius explicasse more consueto grammaticorum. Vera rerum ratio satis constat: Donatus in codicibus, quibus tum secundum Ritschelium p. 322 jam erant inditae didascaliae, modo priore modo posteriore loco positum nomen poetae vidit (ut nunc quoque in Bembino diversitas animadverti potest). Percussit id illico animum, ut fere solebant illius temporis grammatici, qui in magis specie quam re diversis haererent, alia autem specie haud ita discrepantia, re vero summo discrimine separata praetermitterent. Ita pervenit ad illas argutias, quibus quum tanta pertinacia repetat compluribus locis (ut in praefationibus ad Andr. Eun. Adelph.) facile fidem adjungere adducamur quam prorsus non merentur. Aliud praeterea subsidium Donatus in prologis sibi invenisse videbatur, in quibus commentandis similes profert cavillationes. Dicit enim ad Andriae prologum v. 1: prologum nominare Terentium „honore

*) quanquam hic quoque exceptiones haud ita paucas commemorare possim: sed tamen semper sunt exceptiones.

„majore poetam: ut illum hoc ipso de quo laboret nomine or-„naret“ — plane eandem igitur habes sententiam, quae non magis est laudanda priore, quum nullo modo credi possit quemquam spectatorum de brevi verbo „poeta“ fecisse considerationes illas quas vult Donatus, praesertim inter ipsam actionem qua unum sequebatur verbum alterum. Sed remotis his omnibus Donatus vere refutatur ceteris Terentianis prologis, in quibus omnibus Terentius nomen nunquam profitetur, sed ipso verbo „poeta“ se significat; et tamen postquam Eunuchus ingenti plausu est excepta, nomen ejus jam inter notiora poetarum nomina erat referendum. „Poeta“ certe tritum est verbum Terentio ubi de se ipso loquitur, sed praeterea aliae quoque reperiuntur pro eo dictiones, quae sunt testimonio Terentio id modo fuisse curae ut nomen suum taceret. Causa hujus rei sola repetenda est e communi omnium hominum indole atque natura ut suum non libenter enuntient nomen, quod in hoc magis homine, in illo minus valet: putamus enim aliquantum ponderis nobis ipsi afferre, si coram aliis nomine nos appellamus. Quod in homines in primis verecundi animi eo magis cadit, et talis animi fuisse Terentium recte contendi potest cogitanti quanta paene anxietate vitet nomen suum. Exemplum clarissimum est quem jam prius citavi ob eam rem locus in Phormionis prologo v. 26. Similia inveniet qui quaerit permulta, e. g. „hic noster“ Andr. prol. 19, „huic“ Eun. prol. 35, „ille qui orationem hanc scripsit“ Heaut. prol. 14. 15, „hic“ ibid. 18, „novos“ Phorm. prol. 14, „hic“ ibid. 19, „is qui scripsit“ Hec. prol. I, 6, „ejus“ ibid. 8, „hic“ Adelph. prol. 10, „eum“ ibid. 16, „hic“ ibid. 18.

Alias Terentius si de se ipso loquitur utitur tertia persona, etiam alio praeeunte subjecto, cujus rei unum et memorabile addam exemplum Andr. prol. 14 „fatetur.“ Omnino Terentius verecundioris et lenioris fuisse animi videtur, nam vel tam perfidum inimicum qualis erat Luscius Lanuvinus sine nomine maluit oppugnare, plerumque verbis „vetus poeta“ significans.*) Occurrere possunt huic sententiae nonnulli sic: ipsa illa continua et diligenti oppugnatione Terentii comprobari eum mitioris animi minime fuisse. Qui omnino nihil agunt: sibi enim ipsi ut poetae debebat defensionem obtrectationum tam malignarum jam ea de causa ut spectatores suos haberet, et iis excusat hoc in Andriae prologo v. 1 sqq. Ac sunt quoque quae opponit adversariis minime mordaciter et injuriose sed summa temperantia dicta et tantum quae ad ipsam rem pertinent. Donatus igitur

*) Usurpes modo quaeso hoc loco Donati illam explicationem, quod quidem optimo jure possis, et ad eam perventurus sis conclusionem, Terentium inimicum suum acerrimum pro vero aestimavisse poeta idque quoquo licuerit loco protulisse — quod tamen ad totam Terentii oppugnationem ejus et ipsius de eo judicium (Eun. prol. 7 sqq.) minime quadrat.

in hoc quod saepius offendit „poeta“ haesit et, quum omnes veterum grammatici nondum satis usurparent psychologicam interpretationem et e rebus ipsis deductam magis quaererent, hanc sibi finxit explicationem diverso tituli ordine ut videtur affirmatam. Per se autem non male excogitata sunt omnia, modo nimium argute — quae in mentem venire possunt docto lectori, sed nullo modo spectatori, praesertim rudi, ad cujus aures omnia erant scripta.

Non omittam memorabile factum, exstare in Bembini ad priores duas fabulas didascaliis poetae nomen post fabulae positum, in trium posteriorum didascaliis contra ante positum — quod favere videtur Donato. Sed modo reputes: Apud Donatum (in praefationibus) Adelphi secunda est fabula et ad ipsam eam posterius positum esse poetae nomen Donatus refert, quod in Bembino plane contrarium est. Donatus alium prorsus affert ordinem in praefationibus et concedi potest eum in posteriorum fabularum didascaliis ante positum nomen poetae invenisse, tum, ut explicare possit rem, in prioribus quae non convenerunt mutavit — quod secundi gradus grammaticis minime alienum est et de Donato ipso postea liquebit. Ji qui exscripserunt didascalias e libris grammaticorum in codices certissime Donati argutias non in animo habuerunt, immo quolibet ordine verba collocaverunt.

Nomina fabularum retinuit Terentius graeca excepta Phormione, cui aliud indidit nomen ut ipse explicat in prologo; de qua re si quaeram de graeca fabula ex qua versa est Phormio satis multa sequentur. Atque graeca illa nomina (si Bembino fides est adjudicanda, quod tamen jure licet) etiam forma scripsit graeca, si eadem mutuata non habebant Latini, formam autem latinam assumpsit si contra.*) Eunuchum enim latino exitu — us nominat, quia in latino quoque sermone exstat hoc verbum. Contra dicit „Heautontimorumenos.“ In terminatione — os dubitatio fortasse potest obtineri, quoniam in antiquo Latinorum sermone ita exeat declinatio quae dicitur secunda et apud ipsum Terentium haec forma occurrat; sed validissimam dat affirmationem sextae nomen fabulae, quod nunc in editionibus legitur „Adelphi“ — totum latina indutum forma. Codices autem veram dant lectionem, Bembinus „Adelphos“, ubi s in fine mendum sine dubio est librarii pro e non percipientis formam quam invenit, legendumque „Adelphoe.“ Graecum οι latine fit oe, oi enim diphthongus est Latinis prorsus alienus. Si tamen oi invenitur, alio modo est explicandum, ut interjectio „oi“ apud Terentium, onomatopoetica forma, tum „quoi“ (et similia talia) v. c. in Heautont. prol. v. 1 — non diphthongus

*) „Phormio“, quamvis graecum sit nomen, latino exitu scribit, quum non sit nomen graecae fabulae quam transtulit.

oi sed duae vocales o et i non in unum conglutinatae, idem quod ui in „cui", cujus locum obtinet „quoi." Ut φ — ph, κ — c ου — u, ita oi fit oe. Quae eadem forma „Adelphoe" etiam a Ritschelio est constituta ad didascaliam Plauti Sticho ab eo datam palimpsesti Mediolanensis. Geppertus p. 573 „Adelphoi" vult, quia Muretus referat in vetustioribus quoque codicibus ita legi. Sed Muretum manuscriptis Bembini vetustioribus usum esse non liquet et Bembinus summus omnium codicum manet. Recentiores codices ut Ambrosianus legunt „Adelphe", quod clare prae se fert originem ex „Adelphoe" deductam. Sed omnino hoc loco manuscripta non sunt nobis judicium primum, sed linguae ipsius latinae ratio atque indoles. „Adelphoe" certe latine est translatum verbum, sed modo literis non terminatione flexionis; plane graecum est, latinis modo literis scriptum. Si, ut hoc quoque quod contra dicere possit aliquis refellam, in Adelphorum prologo v. 11 legis „Adelphos", id minime refutat quae dixi: hoc enim loco non est publicum nomen et inscriptio fabulae, sed commemoratio tantum quae tam accuratum non poscit usum.

Atque nunc quidem est explicandum cur Terentius in fabulis suis excepta sola Phormione (cui prorsus aliud dedit nomen, sed id quoque e graeco sumptum exemplari) graecum nomen servaverit, quippe cui Plautus plane alia praeivisset ratione.*) Jam Donatus haesit in graecis Terentii nominibus eaque in praefatione Adelphorum sibi explicare vult ita: „Potuit eam (sc. fabulam) Terentius Fratres dicere, sed et Graeci nominis εὐφωνίαν perderet et praeterea togata videretur; ad summam, non statim intelligeretur Menandri esse, quod Terentius in primis lectorem scire cupit; minus existumans laudis proprias scribere quam Graecas transferre." Totius hujus rei modo id laudandum est, Donatum vidisse aliquid esse explicandum; ipsarum explicationum trium quaeque plane est nulla: De εὐφωνία prima, vere grammatico digna excogitata, jam ea de causa abjicienda est, quia non valeret nisi solum de Adelphis**). Contra secundam quam affert Donatus causam iu primis facit Plauti ratio, cujus comoediae quamvis habeant prorsus latinum nomen tamen minime sint togatae. Tertia demum causa ponit cognitionem populi graecarum literarum, quam Terentii aetate nondum habuit secundum quae p. 7 sqq. sunt disputata. Terentio singulari fuisse curae ut populum certiorem faceret a Menandro fabulam esse Donatus e prologis concludere potuit, in quibus tamen aliis ex causis commemorabat poeta graecam fabulam cf. p. 7. Concedas

*) Vide plura de nominibus comoediarum Plautinarum apud Ritschelium p. 138 sqq.

**) quod Donatus quidem hic tantum dicit, sed tamen quod de hac etiam de ceteris valere debet fabulis.

etiam utrumque, et populum jam tum eruditioris fuisse animi et Terentium voluisse ut populus statim sciret a quo sit fabula, tamen nunc quoque non deest refutatio: Scripserant enim permulti comoediam nomine Ἀδελφοί, ut Apollodorus Diphilus Euphro Hegesippus Menander Philemo. Quomodo igitur ex solo nomine „Adelphoe" aliquis dicere potuerit Menandri sit fabula an alius poetae? Porro quomodo e nomine „Phormio" concludi possit a quo sit fabula graeca, quum omnino non exstaret illius nominis fabula graeca? Verba denique „minus existumans sqq." nihil proficiunt; cadunt enim in quemque Romanorum tempore quo innotuerunt Graecorum artes et literae, etiam in Plautum. Immo aliam habuit Terentius causam laude dignam: Intellexit quantum repugnet inter se comoediae argumento graecae, cujus scena sunt Athenae, in qua agunt graeco instructi nomine homines et graecis vestibus induti, latinum dare nomen, itaque graecam sumpsit formam — quod optime convenit ingenio Terentii temperanti et omnia ad justum modum redigenti.

Praeterea de titulo monendum est Bembinum semper habere „Terenti", formam vetustiorem. Calliopiani quoque in titulo (quem Geppertus non affert), si omnino habent, „Terenti" legant necesse est, quum postea „Claudi" et „Aemili" inveniatur in iis.

S e c u n d a   d i d a s c a l i a r u m   p a r s   s u n t   l u d i   q u i b u s   a c t a   e s t   f a b u l a. De Romanorum ludis scenicis Grysarius leviter, Ritschelius p. 286 sqq. diligentissime et qui totam huc pertinentem materiam exhauserit egit, e cujus disputatione summam repetere liceat: Statorum scenicorum cura ludorum erat mandata aedilibus curulibus megalensium et romanorum, aedilibus plebeis plebeorum, praetori urbano apollinarium. Florales vix aut omnino non erant scenici. Casu facti sunt funerales votivi dedicationis ludi. — Verbum proprium de eo ut in scenam producta sit fabula est „agere", quod omnino in significatione eorum quae ad scenam pertinent latioris est usus.

Primum enim in universum significatur quod edita sit in scenam fabula verbo „agere", unde „acta" in omnibus didascaliis est positum. Tum „agere" etiam de iis dicitur qui producebant fabulam, de histrionibus — unde „egit" (egere) in didascaliis, et ipsi histriones „actores" nominantur, et gestus vultus flexiones vocis communi comprehenduntur vocabulo „actio." Singulae denique majores fabulae partes (graeca ἐπεισόδια) „actus" vocantur. Simillimo nos utimur vocabulo si dicimus „aufführen." Aliam habes rationem in graecis didascaliis: ibi enim scriptum invenies ἐδιδάχθη, unde latinum „docere fabulam" oriundum est. Etiam „dare fabulam" haud inusitatum est (cf. Hec. prol. I, 1), ipsum nostrum „ein Stück geben", fortasse non tam proprium actioni scenicae quam no-

strum, quum Hec. prol. II, 32 etiam „datum iri gladiatores“ legatur.

Nunc de singulis nonnulla: In Eunuchi didascalia Bembinus et Calliopiani diversos habent ludos. Qua in didascalia quum apud aediles quoque discedant codices, differam omnia ad posteriorem locum quo de aedilibus agam. Phormionis quoque didascalia diversos exhibet ludos in codicibus, sed etiam diversos consules, qua re post de iis. Didascaliae ad Hecyram et Adelphos extraordinariorum ludorum unum habent genus, ludos funerales sive ut Calliopiani legunt funebres. Bembinus quum in utraque didascalia consentiat verbo „funeralibus“, de lectionis discrepantia minime est cogitandum. Immo ita res erat: Posteriori tempore vocabulum „funerales“ evanuerat et pro eo „funebres“ usitatum erat: Bembinus igitur vetustius servavit vocabulum postea interceptum, Calliopius autem, qui antiquam illam formam plane ignoraret, recentiorem pro ea posuit.

In his ipsis ludis funeralibus aliud praeterea est verbo dignum, diversitas casus quo apponitur Aemilius Paulus in codicibus. Bembinus quidem in utraque didascalia „Lucio Aemilio Paulo“, Calliopiani ad Hecyram idem, ad Adelphos vero „Aemili Pauli“ proferunt. Dativus antiquior et vera est lectio: reperitur enim tribus e quattuor locis et auctoritate Bembini probatur; non dubitari autem omnino potest dummodo expendas: Si genitivus erat primitiva forma, quae nihil habet offensionis, quomodo fieri potuit ut rara et magis ab usu sermonis recedens forma pro eo induceretur? praesertim in Hecyrae didascalia, ubi dativus exstat sine omni nexu, dum in Adelph. did. ad verba „quos fecere“ trahi possit? Immo sequitur ex ipso hoc loco personam in cujus honore celebrabantur ludi plane constante usu solo dativo esse appositam. Tum non valde admirabile videbitur si librarius quidam genitivum, qui per se ferri potest quin usitatior est, pro eo posuit. Quam leviter egerit librarius Calliopii in his ipsis Adelphorum didascaliae verbis etiam ex eo apparet, ut praenomen L. prorsus omiserit. Quod mendum omnino saepissime occurrit atque sunt praeterea in praenominibus plurimae discrepantiae (cf. Ritschel. p. 253 ann.) e more breviandi ea facillime repetendae: caret praenominum ratio in manuscriptis omni accuratiore tractatione. In Calliopianis fere sunt breviata, in Bembino nunc breviata nunc solida idque saepius. Breviationes ipsas diversa ratione factas comparare nullius usus est, et e conspectu didascaliarum ut in codicibus exstant, quem praemisi quaestioni, facile omnia perspiciuntur.

Tertia didascaliarum pars sunt auctores et curatores ludorum: Hi qui fuerint jam p. 22 est dictum et plura de iis, quid fecerint in actionibus scenicis et quomodo

convenerint cum dominis gregis, vide apud Ritschelium p. 327 sqq. in luculenta disputatione.

Quarum fabularum exstant didascaliae multo major pars a curulibus aedilibus est edita, duae Terentii etiam funeralibus ludis et tantum fabula ad quam spectat didascalia palimpsesti Mediolanensis plebeis et Plauti Pseudolus a praetore urbano. Concludi ex eo potest scenicas actiones recidisse fere ad ludos romanos et megalenses, plebeis vero „equorum cursus et gladiatorum pugnas“ (Schubert de aedilibus Romanis p. 458) magis facta esse. Cui rei gravitas adjungi potest eo, ut bis quidem Terentii actae sint eodem anno duae fabulae, sed tamen nulla eorum plebeis ludis. Primum enim Eunuchus (secundum Calliopianos) et Phormio (secundum Calliopianos) megalensibus et romanis ejusdem anni M. Valerio C. Fannio consulibus, tum Hecyra (tertio) et Adelphi iisdem ludis funeralibus anni 593 sunt actae. Quin in anno quem modo dixi 593 tres sunt fabulae actae, Hecyra bis, Adelphi semel, quarum duae incidunt in ludos funerales L. Aemilio Paulo, una in curulium aedilium ludos haud nominatim significatos in didascaliis, sed nulla in plebeos.

In nominibus aedilium solent consentire codicum lectiones (dum in consulum diversitas saepe animadvertitur; de qua re post); E u n u c h i modo didascalia in Bembino et Calliopianis dissimiles habet aediles: in Bembino „M. Junio Lucio Julio“, in Calliopianis „L. Postumio Albino L. Cornelio Merula.“ Praeterea etiam ludi sunt discrepantia notabiles: in Bembino „ludis Romanis“, in Calliopianis „ludis Megalensibus.“ Quibus omnibus perspectis haud dubium esse potest quin ad plane diversas fabulae actiones sint revocanda illa didascaliarum verba. Consulum quidem nomina in fine eadem sunt in omnibus codicibus, sed eo nondum probatur omnia quae afferant codices debere ad unam eandemque spectare actionem. Memineris modo qua ratione in libris didascalicis omnes ejusdem fabulae actiones ordine erant enumeratae consulibus ad quamque juxta positis: quam facile erat librariis leviter omnia percurrentibus eosdem consules ad diversas trahere actiones et diversos consules ad eandem actionem! Sed tamen eo solo nondum explanata est res liceatque igitur ad illustrandam eam hoc loco paucis absolvere quae d e r e p e t i t i s a c t i o n i b u s f a b u l a r u m dicenda sunt. Apud veteres minime moris erat ut nostra aetate fabulas praestantia cognitas si semel actae erant iterum atque rursus producere in scenam, sed omnino nihili aestimabantur post primam actionem. Quod multis ex rebus satis constat: Nam pro prima tantum actione pretium dabatur poetis, tum ut vetus et jam satis nota fabula in possessionem veniebat domini gregis (cf. Ritschel. p. 331) atque postea ab eo rursus agi poterat.

Sed certo ei non saepe licuit talis repetitio, erant enim, ut multis apparet locis, incensi Romani cupiditate semper novi aliquid videndi. Unde est declarandum praeceptum, ut nemini poetae semel a quoquam conversam fabulam iterum convertere liceret. Hinc tot Terentii defensiones contra Luscium Lanuvinum, hinc frequens ille sermo in prologis, novam esse quam visuri sint spectatores fabulam. cf. Heautont. prol. 7. 29. 34. Phorm. prol. 24. Hec. prol. I, 5. II, 57. Adelph. prol. 12. Illud quoque hoc loco afferendum est, posteriores actiones quae notae sunt e didascaliis omnes multos annos post primam fuisse. — Postea vero quum aurea dramatis aetas jam effluxisset atque novae et bonae fabulae deessent, libentissime repetebant fabulas veteres Plauti Caecilii Terentii.

Jam quum de origine Phormionis didascaliae in Bembino locutus sum (p. 12) etiam de ordine didascaliarum quem mihi persuasum habeo in didascalicis grammaticorum libris egi, quod ipsum hic quoque est in memoriam revocandum, ubi disputatur quomodo fieri potuerit ut diversarum didascaliarum partes in unum complexae sint falsumque ergo obtineant locum. Quod quamvis apud consules melius possit tractari tamen nunc statim absolvam. Diversitas ejus quem dixi modi in primis invenitur apud consulum nomina, tum in Eunuchi didascalia etiam apud aedilium et ibidem atque in Phormionis did. apud ludos. In qua parte inest talis diversitas, eam ipsam in didascaliis prioris et posterioris actionis maxime diversam esse oportebat, temporum nempe rationem continentem. Fingas tibi didascalias in cujusdam grammatici libro dispositas: Prima est solida, tum repetitarum sequuntur didascaliae admodum in breve contractae paribus praetermissis partibus — et juxta quamque actionem consules sunt notati ut temporum descriptio. Facillime inde orietur error, ut primam et integram didascaliam librarius describat quidem sed falsos ascribat consules. Quos fere ad secundam pertinere actionem facile intelligitur ex eo, quod exitus primae didascaliae unum modo versum supra consules et initium secundae scriptus erat. Atque invenitur etiam saepe hic error, ut e comparatione consulum nominum apparet. — Minus error quam levitas porro est alterum, quod occurrit in Phormionis didascalia Bembini: Ibi enim pro didascalia ad primam actionem, quae unica hoc loco potest esse alicujus momenti, brevior ad repetitionem quandam cum justis consulibus est exscripta, tum nonnulla sunt addita. Sin autem, ut ad Eunuchum in Bembino, integra tradita est didascalia cum justis consulibus primae, ludis vero et aedilibus posterioris actionis, difficilius jam explicari potest res. Quod omnino totam meam ordinis in didascalicis libris constructionem dejicere posset, nisi Eunuchi didascalia ipsa viam qua evadi potest monstraret. Nam secundum ea quae exposui recte quidem explicandum est ut didasca-

lia contracta posterioris cujusdam actionis habeat in fine consules primae (et primae actionis did. ut habeat consules posterioris), sed nullo modo fieri potuit ut contracta didascalia scriberetur, ad eam vero partes quae deerant e prima sumptae adderentur: id enim plane idem esset ac si consulto librarius falsam exscripserit. Optime vero cogitari potest partes quae deerant post ab alio quodam adjectas esse; quod multum accipit comprobationis hoc loco, si animadvertitur partes illas inveniri tam perturbato ordine, ut non nisi ex posteriore adjunctione recte possit res explicari. Aliter enim mirum esset hic tantum illam confusionem exstare, aliis autem permultis locis, ubi in consulum nominibns mendum est admissum, nunquam simile quoddam esse.

Accedit vero huic rei alia: In Calliopianis enim ante Fannium consulem legitur „Mummio" *) Quem Mummium Geppertus p. 555 consulem ad eam pertinere actionem cujus sunt aediles in Bembino vult. Dicit lacunam Bembini hoc loco probare consulto omissum esse illud verbum ut ad Fannium minus conveniens; tum plures habere codices „C." ante „Mummio" in „Cornelio" suppletum et hoc esse nomen secundi consulis ad actionem illam, quae in annum 607 incideret. Quae tota argumentatio non videtur apta: Primum lacuna Bembini minime idoneum est argumentum, quia in ea finis verbi antecedentis „Valer."(io) et praenomen Fannii „Cajus" (integrum sine dubio, ut solet Bembinus, scriptum, non breviatum) posita erant; neque est secundum quae adhuc de Bembino constant credibile librarium ejus cogitationem suscepisse de duobus nominibus, utrum gentilia sint itaque inter se non conveniant annon: immo accurate omnia exscripsit ex exemplari suo. Porro si pauci codices habent „C." suppletum in „Cornelio", quomodo huic rei tantum potuit tribuere momenti Geppertus, quum notum sit et ab ipso quoque alio loco referatur saepissime in manuscriptis falso suppleri praenomina in gentilia? Quod hic factum esse jam ex eo patet, quod Fannius tum praenomine omnino caret. Atque ut omnia concedas, quidnam fasturus sis cum aedilibus M. Junio et L. Julio? Ei enim quem Geppertus constituit anno (607). M. Popillius Laenas et a Licinius Nerva traditi sunt aediles curules. Alia potius via ingrediendum est ad declarandum illud „Mummio" in Calliopianis interpositum. Recedit enim ab omni fide existimare in Calliopianos, qui plane justam et recte dispositam tradunt didascaliam, consulem alius actionis in alio codice, Bembino, significatae (praesertim eo ipso nullum vestigium ejus ostendente) insertum esse. Errore tantum irrepsisse „Mummio" in codices potest, qui qualis sit postea videtur exponendum, quum de chronologia hujus fabulae agam.

*) Quod Geppertus in textu didascaliae omisit.

Restat ut chronologiam actionis didascalia Bembini indicatae describam, quae solis ex aedilium nominibus deducenda est. De aedilibus autem difficilior est quaestio quam de consulibus: hos enim certo attributos anno firmissimo testimonio habemus, aediles autem ex parte tantum certo noti sunt et si noti ipsi tamen non annus quo functi sunt magistratu. Inter eos qui dispositi traditi sunt nusquam ullus Junius et Julius una aediles curules inveniuntur, sed eo nondum probatur omnino duos viros illo nomine nunquam fuisse collegas in aedilitate curuli, quum quibusdam annis nulli tradantur aediles. Si igitur aetas cujus hoc loco solius usus est, tempus Terentii et paullum post Terentium, consideratur, tres anni quaestionem attingunt, 611 et 616, quibus certi aediles non traduntur, et 627, quo Sex. Julius Caesar aedilitate functus est, alter autem aedilis non nominatur. Sed tamen haec ratio, quamvis non accuratissimis argumentis oppugnari possit, debilitatur hac plana contemplatione, quam jam Pighius in annalibus fecit: Quum apud Romanos omnes magistratus certo adirentur ordine et certa aetate vitae inde ab a. 574 (lex Villia Annalis), paullo igitur ante Terentii tempus quo primum prodiit, si unus annus est notus quo majore magistratu functus est aliquis, facile annus quo minorem tenebat computari potest; quod, quanquam non plane indubitatam facit rem, tamen propius accedit ad veritatem. Pighius vero, qui cum diligentia ubi deerant aediles computavit, toto huc pertinente tempore nullum Julium aut Junium invenit ubi deerat certus aedilis *). Sed alia ratio commode se praebet: nam voces „Julius“ et „Junius“ tam similes inter se faciunt, ut optimo jure de peccato librarii cogitetur, atque sola quae hoc loco patet via est longius descendere ad annum 632, quo M. Junius Silanus cum Cn. Papirio Carbone aedilitate curuli functus est. Recte contendi poterit, quod jam antea dicere debuissem, in didascaliis principalibus magistratuum nomina summa cum cura omnia esse scripta, etiam patrum (fortasse quoque avorum) nomina addita, quod sollemni Romanorum rationi optime convenit. Atque veram hujus rei affirmationem praebent fragmenta didascaliae ad Plauti Pseudolum, ubi „M. Junio M. fil.“ similiter est dictum de curatore ludorum. Quod si ita est ad annum 632 primus aedilis significabatur his: „M. Junius Silanus L. F.“ h. e. Lucii filius. Grammatici vero tantam subtilitatem rebus publicis magis aptam non expetebant et in libris suis praetermittebant patris nomen; qui autem exscripsit didascaliam hanc e commentariis in librum suum postquam legit „M. Junio L. F.“ errore diremit in duos aediles M. Junium et L. Julium. Quod quam

---

*) Sequor hic copiosum librum Schuberti „de aedilibus Romanis“, qui accuratissime omnes aediles enumerat et cuique aedili affert fontes quibus traditur.

facile fieri potuerit nemo negabit: e „Lucii filio“ si in loquendo peccavit statim „Lucio Julio“ fecit, atque eo facilius, quum modo scripsisset tam simile nomen „Junio.“ — Repetitio igitur Eunuchi anno 632 statuenda erit.

Privatorum ludorum auctores erant privati, ut funeralium Aemilio Paulo cognati mortui, hi quoque duo conjuncti, si e didascalia Adelphorum tale quid concludere fas est. Atque curam illis ludorum traditam fuisse significatur verbis „quos (sc. ludos) fecere“, pro quibus in Bembino errore scriptum est „modos fecere“ propter solita de melopoeo vocabula in quaque didascalia „modos fecit.“ Praeterea mendum in Bembino conspicuum est „Lucio Fabio Maximo“ pro „Quinto Fabio Maximo“ posito, quod praenomen „Lucius“ facile in mentem venire potuit librario, qui modo „Lucio Aemilio Paulo“ scripserat et in quaque didascalia plures invenerat Lucios.

Sequitur quarta didascaliarum pars, actores. Incipit verbum „egit“ sive „egere.“ Quum in didascaliis Terentianis semper duo actores sint nominati, magis arridet primo aspectu „egere;“ sed tamen in Bembino quum tres e quattuor didascaliis quae omnino dant actores habeant „egit“, peccatum librarii hoc loco non licet fingere, neque vero industria ex „egere“ potest esse factum „egit“, quum minus sit aptum. Singularis numerus etiam duobus exstantibus subjectis admittitur. Porro si expendis quam accurate reddat Bembinus exemplar suum, haud alienum erit pro certo ponere in libro ex quo hausit fuisse „egit“, quod autem semel (in did. Adelph.) occurrit „egere“ e mendo librarii esse ortum, qui paullo ante „modos“ (pro „quos“) „fecere“ scripserat eoque adductus est, ut hic quoque plurali numero uteretur. Menda talia librarii in Bembino saepissime occurrere jam inveneris et invenies. Utrum sit statuendum, „egit“ principalem esse formam et in omnibus grammaticorum libris ita scriptum fuisse, Calliopium modo suo jure mutavisse in „egere“, exploratum habere nemo potest: id vero constat, in libro ex quo hausit Bembini scriptor „egit“ fuisse.

In Terentianis didascaliis semper duo nomine afferuntur actores, in didascalia palimpsesti Mediolanensis modo unus. Sunt autem si viri actores qui agunt primas partes, praeterea gregem regunt. Ritschelius p. 327 sqq. primus conditionem eorum prorsus dilucidam fecit. Ad vere dijudicandum quem obtinuerint locum viri maxime faciunt prologus ad Heautontimorumenon et magis secundus ad Hecyram, quo ipse Ambivius loquitur paullo latius de se ipso suaque cum poeta et aedilibus conditione. Clare inde elucet dominum gregis tunc temporis minime sine auctoritate fuisse. Qualis erat in primis L. Ambivius Turpio, qui cum L. Hatilio Praenestino excepto quem p. 16 sqq. dixi tempore semper praeerat Terentianis agendis fabu-

lis. Ritschelius utrumque fuisse actorem primarum (resp. et secundarum) et dominum gregis contendit. Quod mihi persuadere non possum: Certe Hatilius quoque sine Ambivio egit Adelphos ut actor primarum et dominus gregis (ut videtur), sed tum aliae valebant causae quas l. l. enarravi. Immo Ambivius solus mihi videtur fuisse dominus gregis et Hatilius praestantissimus e grege ejus histrio. Videas: In omnibus didascaliis omnium codicum praeter solam Adelphorum in Bembino, ubi tamen Ambivius errore et scriptus, Ambivius ante Hatilium nominatur, quod forte ita evenisse nemo putabit: nam si Hatilius item erat dominus gregis, saltem semel vel bis anteire debebat Ambivium. Praeterea in secundo Hecyrae prologo Ambivius ut dominus gregis ita de se loquitur, ut nullum quasi condominum habuisse possit. Illud quoque accedit, ,quod, etiam ubi haud una agebant Ambivius et Hatilius sed tantum unus eorum, tamen secundus actor nomine affertur. Hunc quoque dominum gregis existimare possis, sed tum concedere videaris omnino Terentii temporibus fuisse usitatum ut duo domini cum gregibus suis se conjungerent. Dolendum est didascalia palimpsesti Mediolanensis non satis esse exploratum cui fabulae sit adjudicanda, Plautinae cuidam an Terentianae. Ea enim, quum tantum unum actorem afferat, cum nostris comparata permultum profutura esset in quaestione, utrum unus dominus gregis an duo actionem rexissent. Ritschelius autem eo, ut illam didascaliam Sticho Plauti adjudicet, infringit alteram suam sententiam, et Ambivium et Hatilium dominum gregis fuisse. Secundum eum enim Plauti tempore modo unus dominus actionem sibi succepit, Terentii autem duo. Potest vero multo potius explicari quomodo factum sit ut initio unus modo actor idemque dominus gregis nominetur, post autem praeter eum secundarum quoque actor, quam ut initio unus dominus cum grege suo suppeditaverit ad agendam fabulam, postea vero duobus opus fuerit gregibus. Fortasse ita se habet res: Ambivius, Terentii praestantissimus histrio et dominus gregis, in grege quoque tam excellentem quendam habebat actorem Hatilium, ut ei soli novam fabulam Adelphos agendam posset comittere — qua re Hatilius in Adelph. did. ut dominus gregis anteit —; is igitur etiam in titulo post dominum gregis est receptus. Quum vero ita solitum esset in Terentianarum fabularum didascaliis duos referre actores, dominum gregis et praestantissimum ejus actorem Hatilium, etiam alias ad fabulas, in quibus non duo illi una egerant, retinebant eum usum Romani et adjungebant secundum actorem quamvis minus clarum.

Nomina principum duorum Terentii actorum sunt „L. Ambivius Turpio“ et „L. Hatilius Praenestinus.“ In Bembino nunc „Turpio“ deest nunc „Lucius“, „Ambivius“, nunquam; Hatilii nomina, quae bis modo sunt in Bembini didascaliis, integra

plane exstant, excepto quod ad Eunuchum „Praenestinus" est breviatum in „praen." Calliopiani omnia actorum nomina solida afferunt et in uno tantum discrepant a Bembino, in nomine secundi actoris, quod non „Hatilius" sed „Atilius" scribunt. Sed „Hatilius" antiquior est forma, ut „Haedui" pro „Aedui", „Halyattes" — „Alyattes" alia. Donatus vel „Attilius" habet. In Heautont. did. Bembini deest secundus actor, Calliopiani vero hic quoque Atilium afferunt. Qui, quum alias semper in Terentianis didascaliis duo sint nominati actores, omissus sine dubio est errore — fortasse etiam consilio librarii „egit" ad duos referendum actores minus putantis aptum; qui eadem de causa in Eunuchi didascalia Ambivium uncis includendo tollere conatus est. Sed tota altera haec ratio minus quadrat ad id quod alias de Bembini librario observari potest: sequebatur enim exemplar suum sine magna cogitatione et in accurate reddendo solam ponebat curam, nullam rationem habens quod scripserat recte sit dictum annon. Qua re etiam in Eunuchi did. uncos illos non a scriptore omnium didascaliarum sed ab alia quadam manu additos esse veresimilius est. — In Phormionis did. Bembini desunt prorsus actores cf. p. 12. — Bembini ad Hecyram didascalia exhibet: „egit Luc. Ambivius Luc. Sergius Turpio", ubi est verbum „Turpio" distractum ab „Ambivius;" L. Sergius autem secundus judicandus est actor. De verbis „Lucius Ambivius Turpio" in Bembini ad Adelphos didascaliam falso illatis vide p. 16 ann.

Ventum est ad quintam et sextam (de quibus generatim est dicendum) didascaliarum partem, melopoeum scilicet et musicorum genus. Quae inducuntur verbis „modos fecit", semel in Calliopianis (did. Eun.) etiam „modulavit." Hoc igitur „modulavit", quod peccatum est pro „modulatus est", cum Ritschelio p. 266 vetustius eoque rectius judicare non audeo propter gravem codicum auctoritatem. Sequens quidem „totam" et „tota" cum „modos fecit" jungi non posse recte opponit Ritschelius, sed „tota", quod Bembinus semper habet, etiam cum „modulavit" jungi non potest. Et in universum, si inter copulationem verborum magis et inter minus concinnam est electio, melius semper minus concinna existimatur antiquior, in concinniore autem recentior cognoscitur manus. Calliopium plerumque habere concinniora omnia non admirandum est, quum subscriptione „Calliopius recensui" ipse testetur se critice pertractavisse fabulas. Jam per se illud „modos fecit" nihil habet vituperationis, quin etiam melius est quam „modulatus est", quum praeeunte „modos" statim accurate significetur conditio totius partis. Postea vero ex hoc „modos fecit" factum est „modulatus est" ut simplicius, et quod Donatus saepius ita exhibet in periphrasticis praefationibus, ea ipsa re hoc vocabulum

tanquam recentius ostenditur. Restat nunc quidem „totam“ et „tota“ quod egeat interpretatione. Priore aetate falso ad „graeca cet.“ est sumptum, quod inde a Ritschelio (p. 264) est remotum. Porro ad „modos fecit“ nullo modo potest trahi. In Bembino quidem semper exstat „tota“, in Calliopianis „totam;“ est vero in utraque codicum classe modo bis: in Bembino ad Hecyram et Adelphos, ad Phormionem legi non potest, quia tota haec didascalia admodum est contracta, ad Heautontimorumenon plane alia enarratio pro eo inducitur — ergo Eunuchi modo did. est reliqua et in hac librarii levitate est omissum. Item in Calliopianis: Ibi enim „totam“ invenitur in didascaliis ad Hecyram et Phormionem, ad Heautont. alia descriptio locum ejus obtinet, in Adelphorum vero, qua est in Bembino, et in Eunuchi did. tantum est praetermissum peccato librarii. Quod enim facile aliquis cogitare possit, hoc verbum („tota“ s. „totam“) ad arbitrium esse nunc additum in antiquissimis didascaliis nunc omissum, omni caret probabilitate, quippe quum sine omni dubitatione partes didascaliae tam paucis verbis inclusae certa quadam norma essent constitutae neque unquam ulla posset omitti. Quod vero tam saepe omissum est hoc verbum facile creditur e falsa ejus interpretatione apud librarios: Volebant enim ad sequentem partem „graeca cet.“ trahere, ibique quum fere nihil valeat ad cognitionem amplificandam, haud ita magnam ejus servandi curam habebant. Bembinus igitur „tota“ habet, Calliopiani „totam“ idemque etiam palimpsestus Mediolanensis: id minime dici potest forte ita evenisse, immo Bembinus hoc quoque loco principalem exhibet servatam formam, Calliopii vero codices et palimpsestus jam aliquantum mutatam. „tibis-tota“ igitur principalis videtur forma hujus didascaliarum partis, nullo certe vinculo cum antecedentibus „modos fecit Flaccus“ conjuncta et eo ipso antiquitatem probans. Nam antiquissimae didascaliae, quales inscribebantur commentariis magistratuum, ratione magis inscriptionum quae vocantur i. e. brevi et abrupto sermone compositae cogitari debent, et ut post in didascaliis „graeca cet.“ et „facta cet.“ abrupta sunt addita, eodem plane modo verba „tibis-tota“ sine omni cum antecedentibus copulatione potuerunt adjici. Calliopius, ut aliqua ex parte efficeret nexum sententiae, scripsit „totam“, quod cum „modos fecit“, si vim verborum propius accedentem ad nostrum „setzte in Musik“ spectas, jam melius convenit. Etiam pro „modos fecit“ scribere maluit „modulavit“ in Eun. did., sed non usque ad finem ita fecit. — Aliud porro accedit argumentum gravioris momenti ut „tibis-tota“ sola et remota a ceteris sit pars, non pendens e „modos fecit“, didascalia scilicet Heautont.: „tota“ quum ea significatione sit appositum, ut per totam fabulam inde ab exordio uspue ad finem manserit idem musicorum genus, contrarium erat, ut media in fabula commutarentur mu-

sica: et ita in Heautontimorumeno factum esse praedicat didascalia his verbis: „acta (est) primum (s. prima) tibis imparibus deinde duabus dextris.“ Qui „tota“ spectare vult ad „modos fecit“, hic quoque tali modo agere coactus est: pro „tota“ vero omnia illa verba „acta — dextris“ exstant, partes pro toto, et profecto non cum summo labore aliquis ea conjungere possit cum „modos fecit“, quia verbo „acta“ apertissime separantur sequentia ab antecedentibus.

Differentiam intercedere inter „modos fecit“ et „modulatus est“ nonnulli disputaverunt; sic Reinholdius („Ueber die Anwendung der Musik in den Komödien der Alten“, Pasewalk 1839, p. 13 sqq.), cui jam Ritschelius p. 266 ann. adversatus est. Secundum igitur Reinholdium est „modos facere“ idem quod nostrum „componiren“ et „modulari“ „Musik machen, spielen.“ Si vere ita esset, Donatus in praefatione Hecyrae melopoeum omnino omisit, pro eo vero pythaulen nomine attulit? Esse potest, quod mihi etiam admodum probatur, melopoeum modos suos ipsum tibiis cecinisse: nam ut illo tempore jam aliquis exstiterit, qui melopoei munere solo fungebatur, plane abhorret ab omni similitudine, quum in minus excultae artis gradu et ars minus sit in honore et quasi ex fonte animi naturali quodam modo effluere videatur itaque in unum confluat ipsa modorum creatio et repraesentatio. Sed id nullius est ponderis ad didascalias de quibus agitur, quippe quae non repraesentatorem musicorum sed, quod magis est grave, auctorem eorum nominent. cf. Hermannum in opusc. I. p. 294.

De confusione qua verba „modos fecit cet.“ in Bembini didascalia ad Eunuchum afferuntur, quomodo sit explicanda, jam p. 26 nonnulla dixi: „fecit“ deest, sed pro eo lacuna aperte indicat verbum exstinctum. Atque sunt quidem verba „modos (fecit) Flaccus“ duos versus altius ponenda ante „tibis-dextris“, quem locum semper alias obtinent, non cum Gepperto p. 552 vice versa „tibis cet.“ post „modos cet.“ Mirum est in hac ipsa didascalia et tantum in hac Calliopianos item habere melopoeum et musicorum genus demum ante consules: mirum, sed nihil ex eo deducendum est. Levitate librarii in Calliopianis omissa sunt primum illa verba, tum adjecta versus finem.

In Hecyrae did. Bembini „Modos Flaccus Flaccus“ est peccatum pro „Modos fecit Flaccus.“

M e l o p o e u s ad omnes fabulas erat „Flaccus Claudi.“ Terentio omnino contigit, quod sane poetae magni est faciendum, ut, quum breve tantum tempus poetae susciperet partes, fere semper iisdem uteretur omnibus, qui ei ad fabulas suas agendas erant necessarii, hominibus, iique ut ita fierent cum poeta pietatis vinculo conjuncti, ut quamque poetae laudem pro sua, quamque injuriam pro sibi injecta haberent. Priore tempore „Flaccus Claudi“ ita explicabatur, ut Flaccus sit filius Claudii

— sine omni ratione et prudentia. Muretus igitur adversatus est aptis argumentis demonstrans subaudiendum esse „Claudi libertus.“ „Claudi“ propter „Flaccus“ in omnibus invenitur didascaliis excepta Eunuchiana Bembini, ubi errore tantum deest. Mediolanensis quoque palimpsesti didascalia exhibet „Marcipor Oppii“ eodem accedente nomini additamento.

Transeo ad musicorum glerus: de forma in universum est notandum Bembinum habere antiquam scripturam „tibis“ semper pro recentiore „tibiis“ quae apud Colliopium est. Solet hic deesse verbum quod dicitur apud grammaticos, exstat sine nexu „tibis-tota.“ Reinholdius p. 14 ita vertit: „Die Composition machte Claudius für 2 (rechte) Flöten (nämlich arrangirt, componirt)“ et „tibis“ pro dativo putat positum: ex qua interpretatione dubium est utrum illud „tibis“ a „modos fecit“ aut a verbo suo uncis incluso „arrangirt“ pendere vult. Sed omnino ea rejicienda est propter quod plerumque est additum „tota“ quod ad fabulam spectat, „arrangirt“ vero sola ad musica, quae non per totam adhibentur fabulam. Heautontimorumenu vero didascalia optime demonstrat quid sit hoc loco supplendum: „acta.“ Tum „tibis“ est ablativus instrumenti (et vere instrumenti), significat enim quibus instrumentis pars actionis ad musica pertinens (de qua exstat in didascalia „acta“) sit repraesentata.

Dat vero quaeque didascalia alia vocabula pro musicorum genere et sunt ergo deinceps explicanda. In universum praemittantur haec: Sociabantur fabulae duabus tibiis ab uno tibicine inflatis. Ubi adhibitae sint hae tibiae Hermannus opusc. I. p. 290 demonstravit. Habebant vero Romani tibias diversae notae, acutiores et graviores, de quibus disseruit Boeckhius in „Heidelberger Jahrbücher“ v. 1810 Abth. 5, Bd. I. p. 165: Prima erat divisio in tibias „dextras“ et „sinistras“, quas Boeckhius necessariis argumentis demonstravit illas esse acuti soni, nostras „Discantflöten“, sinistras autem gravis soni, „Bassflöten.“ Nomina „sinistrae“ et „dextrae“ acceperunt tibiae secundum Boeckhium „nach der allgemeinen Ansicht des Alterthums, die alles Fröhliche, Glückliche rechts, alles Düstre, Unglückliche links nannte.“ In Terentianis didascaliis duae sinistrae omnino non accurrunt, quod Boeckhius explicat e natura comoediae statariae magis in jocum inclinantis. Quin eo procedendum est judicio, ut omnino comoedia per se fere habuerit dextras, interdum etiam dextram et sinistram, sinistras vero duas tragoediae reliquerit.

In didascaliis sinistra hoc ipso verbo non commemoratur, sed tamen alio sub nomine latet. Discrimen enim fiebat inter tibias prout ejusdem generis, „pares“ igitur (resp. dextrae s. sinistrae), aut diversi generis — „impares“ (una dextra et una

sinistra) erant. Electionem autem inter eos faciebat melopoeus secundum argumentum sive jocosius sive gravius fabulae.

His praemonitis per singulas didascalias hanc partem fractabo: Ad Eunuchum legitur „tibis duabus dextris" („duabis" in Bembino peccatum) in omnibus codicibus (excepta, quod per se intelligitur, diversitate „tibis" et „tibiis"). Potuit pro eo scribi „tibis paribus dextris", sed utrumque est perspicuum. (Ceterum „duabus" minime idcirco est adjectum ut numerus tibiarum huic soli fabulae determinetur, sed intelligendae sunt tibiae solitae cognitae.) — Ad Phormionem Calliopiani (in Bembino deest tota haec pars) exhibent „tibiis imparibus totam" — sane dilucidum. — Hecyrae did. dat „tibis paribus" (pro quo in Calliopianis est erratum in „parilibus") sine accuratiore descriptione, et Boeckhius p. 169 contendit has pares esse sinistras, quia Hecyra flebilioris sit conditionis. Cui minime mihi videtur assentiendum. Quomodo enim potest cogitari secundum ea quae dixi comoediam esse actam cum cantu duarum sinistrarum tibiarum, praesertim totam? Compares Heautont. didascaliam, fabulae sine omni dubio in prima parte severissimae omnium Terentianarum; sed quibus est sociata tibiis? „primum" (i. e. in prima parte) „tibis inparibus deinde duabus dextris." Pro severissima illa parte igitur non duae sinistrae, sed una modo cum una dextra conjuncta! Qua re, quum Hecyra non tam gravis sit quam prima pars Heautontimorumenu, plane fieri non potest ut severioribus modis sit acta: immo Hecyra quum non plus habeat flebilitatis quam ceterae Terentii fabulae (ubi enim nodus nectitur, semper paullo gravius incedet fabula), nihil obstat quominus pares Hecyranae didascaliae tibiae intelligantur dextrae. Universe ad libitum melopoei magis accommodatum fuisse videtur quas eligeret tibias, prout perceperit fabulam. Phormio enim tibiis imparibus est acta, quamvis non tam severi sit argumenti. Quum tamen media in fabula mutatae sunt tibiae, tum in fabula ipsa quoque conversionem subitam fieri necesse est. Certo persuasum mihi habeo tibias pares in Hecyra dextras intelligi, sed ideo non cum Boeckhio puto omissum esse „dextris" „aus Nachlässigkeit der Grammatiker oder Abschreiber;" deest enim et in Bembino et in Calliopianis. Sed ita res videtur se habere: „tibiae pares" usitatum erat dicere pro „tibiae duae dextrae", quia hoc unum modo genus tibiarum parium ad comoediam exstare poterat duabus sinistris ad tragoediam tantum pertinentibus.

Majoris est momenti haec didascaliae pars ad Heautontimorumenon, significans interdum media in fabula mutatas esse tibias — prout in ipsa fabula mutatio gravis fiebat, quae in comoedia semper a severiore ad jocosius, respondens nectendo nodo et solvendo, erit. Bembinus habet: „actae primum (tibis) inparib. deinde duab. dextris": „actae" depravatum est ex „acta

est;" „est" saepe appositum invenitur etiam verbis „graeca" et „facta", saepe etiam omissum. In Calliopianis vero paullo diversum legis: „acta prima tibiis imparibus deinde duabus dextris." Jam vides Bembinum servare antiquiorem formam „inparibus" pro Calliopii „imparibus." Etiam quod porro dant Calliopiani „prima" mutatio a Calliopio facta facile intelligitur pro Bembini „primum." „Primum" optime convenit cum „deinde" sequente et ambiguitatem verbi („zum ersten Male" et „anfangs") non animadverterunt auctores didascaliae, quibus altera hoc loco non apta significatio omnino non in mentem veniret. Calliopus autem haesit in ambiguitate verbi et maluit scribere „prima", quod tamen minus convenit verbo „deinde."

In Adelphorum did. Bembinus habet „tibis serranis", Calliopiani „serranis", ubi „sarranis" recta est forma secundum Ritschel. p. 262. Sed de vi verbi paullo latiore opus est disputatione: Sarranae si Boeckhium p. 170 sequeris sunt sinistrae et ita contra omnia quae dixi tamen duae gravis soni tibiae ad Adelphos statuendae essent, quum auctoritati codicum consentientium nulla possit repugnari dubitatione. Est autem ipsa Adelphi jocosissimarum Terentii fabularum et si didascaliam ad Heautont. comparas omnis evanescit dubitatio. Nam quum prima pars Heautontimorumenu, severior quidem omnibus ceteris Terentii fabulis, impares tantum habuerit tibias, Adelphi, jocosa fabula, cum sinistris sociata fuisse nullo modo potest. Sarranae ergo sinistrae non sunt; quum vero pares esse debeant, tantum pares dextrae judicandae sunt. Sarranae autem nominatae sunt a Sara sive Sarra, quod est nomen vetus pro Tyro (hebraico sermone „Zor"), Phoenicum urbe, nihilque impedimenti est quominus intelligantur acuti soni, quum apud omnes orientis paganos tumultuans et bacchans deorum sit cultus itemque strepentia et jocosa musica. Neque omnino probo quod Boeckhius vult, tria genera pares dextras impares pares sinistras respondere tribus Graecorum vocis generibus lydio phrygio dorio (ita ut sarranae sint doriae). Latinorum illa genera non certa sunt vocis genera sed, ut e nomine magis universe dicto patet, in universum contraria illa: acutum et grave, et inter ea et ex iis mixtum medium *). Sarranae igitur sunt tibiae singularis cujusdam structionis, quae etiam singularem edebant sonum, exsultantem ut videtur et laetum. Praeter hunc locum sarranae tibiae etiam in didascalia Mediolanensis codicis inveniuntur.

---

*) Apud Horatium certe tibiae lydiae inveniuntur, forma „lydae" (carm. IV, 15, 30), ut quae cum carmine lyrico ἐγκωμίῳ consocientur, sed non ex latino tibiarum usu eas sumpsit sed ex imitatione carminum graecorum. Et plane idem valet de tibiis berecyntiis (= phrygiis), quas Horaticus rarm. III, 19, 18 et IV, 1, 22 commemorat.

Pertractatis ita antiquissimis didascaliarum partibus omnibus praeter consules qui finem occupant nunc quidem agendum est de iis partibus, quas supra conatus sum demonstrare postea additas, scilicet graecam fabulam et numerum fabulae latinae. Atque primum de graecis quas Terentius verterit fabulis plura sequentur. Comici Romanorum poetae inde ab initio usque ad septimum seculum exceptis paucis omne ponebant studium in convertendo graecas fabulas et novae quidem comoediae. Cur ab argumento e Romanorum vita sumendo abstinuerint et nova non antiquae Graecorum comoediae navaverint operam bene disputatum est a Könighoffio „de ratione quam Terentius in fabulis graecis latine convertendis secutus est" p. 8 et p. 36. Sed non cogitandum est de versione ad verbum expressa, sed potius de libera tractatione ita, ut latinus poeta argumentum tantum et dispositionem fortasse (sed dispositionem quoque saepe mutaverunt et personas addiderunt) sumeret e graeco, singularum autem rerum expositionem ex suo animo totam faceret. Nihilominus apud Terentium plures exstant loci, qui, ut videre licet e verbis graecis a scholiasta allatis, ad verbum sunt expressi, quod tamen ipsum, ut Könighoffius recte observat, probat quam insolitus fuerit talis consensus et quanta igitur cum levitate adjudicaverint Casaubonus et Raumerus servilem imitationem graecarum fabularum Terentio. Tum Könighoffius permulta citat exempla e fabulis ipsis, quibus comprobatur maluisse quam plurimum sine cortice natare Terentium. Et praestantissimum ejus rei argumentum continetur iis, quae Luscius Lanuvinus perpetuus inimicus Terentio exprobrat et hic sibi in prologis defendit. Summa autem omnium quae vituperantur fere inest in his verbis Andriae prologi v. 16:

„Contaminari non decere fabulas."

Atque intelligitur „contaminare" secundum Grauertum (qui scripsit copiosam disputationem „Ueber das Contaminiren der römischen Komiker" in „Historische und philologische Analekten") p. 116 pro „mehrere Stücke oder ihre Theile verbinden." Contra eum Könighoffius contendit sic vertens locum in Andriae prologo: „Theaterstücke zu versudeln sei nicht recht", quo inimici Terentium omnino vituperarent propter conversionem quam solebat instituere fabularum graecarum. Sed concedit tamen Könighoffius Terentium eo peccavisse, ut non unum argumentum et unum eundemque poetam servaverit. Haec merae sunt argutiae: Si verbum communis et verbum singularis significationis exstat et utraque significatio apta est in aliquo loco, certe nemo statim communem arripiet, deinde ad singularem descendet, sed in singulari primum haerebit, tum ad communem ascendet — quod ubique hominum animi ita faciunt. „contaminare" Ruhnkenius et qui eum secutus est Grauertus exploraverunt derivari a radice „tag" berühren, quae eadem in „tango"

„contagium“ „contages“ „integer“ latet; primitiva igitur ejus notio est „mehrere Gegenstände mit einander in Berührung bringen“, et si statim mavis addere notionem violenti, „zusammenschweissen.“ Quum vero pura cum impuris possint conjungi eoque pura turbari, facile „contaminare“ accipit vim „beflecken“, quam deinde usurpare solet. (Eodem modo „contagium“ dicitur pro „Ansteckung.“) Ac nunc quidem consideres enarrationem in prologo Andriae v. 9—16: Si Terentius, postquam explicavit ut e Perinthia nonnulla sumpserit in Andriam, dicit id inimicos sibi objurgare nominantes „contaminare“, tum quisque audiens primitivam hoc loco solam aptam intelliget significationem. Id vero concedendum est, simul etiam quemque verbum illud accepisse in malam qartem usitatiorem: sed tamen propria huic loco manet altera vis. Etiam magis huc spectat Heautont. prologus v. 17., ubi plane non aliter est intelligendum quam multas fabulas graecas poetam conferruminasse in paucas latinas. In Eunucho III, 5, 4 denique „contaminare“ invenitur significatione derivata „beflecken, trüben.“ Opponendum est verbo „contaminare“ aptissime quod in Heautont. prol. v. 4 exstat „integer“, a poeta praecipue pressum, quia totam fabulam ex una graeca converterat. Recte concludi potest ex hoc loco homines illius aetatis etiam perspectum habuisse quod „integer“ cohaeret cum „contaminare.“

Terentius ergo, ut ex iis quae attuli satis apparet, liberiore quodam modo egit in convertendis graecis comoediis. Etiam qui eum aetate praeiverunt poetae latini comici interdum recesserunt ab exemplaribus sius graecis (cf. Andr. prol. 18), sed Terentius longius progressus est eoque in inimicorum devenit obtrectationem. Causa omnium talium invidiosarum accusationum non haec erat (ut Könighoffius p. 36 sqq. vult), ut multi Romanorum crimen in eo ponerent, quod graeca fabula vel aliquantulum mutabatur, adducti nempe nimio amore literarum graecarum — id enim tam eruditi animi est testis, qualem illius temporis Romani in universum minime habebant —, sed ut duas graecas fabulas Terentius conglutinaret in unum saepius, id pautertati animi ei tribuere volebant, quin ad tantam progressi sunt injuriam (ut e Phorm. prol. v. 13. 14 videtur), ut dicerent eum nullum inventurum esse prologum, nisi haberet contra quos se defenderet.

Nomina fabularum semper graeca retinuit Terentius praeter Phormionem solam, qua re grammatici graecae nomen fabulae non repetebant solumque „graeca“ cum nomine poetae graeci in didascalias inducebant, ad Phormionem autem, quae mutatum prae se ferat nomen fabula, etiam fabulae graecae nomen quo opus erat addiderunt.

De scribendi ratione in hac parte est memorabile nomina graecorum poetarum in genitivo exstantia Bembinum proferre

cum terminatione — u (latine scripta pro graeca — *ου*), „Menandru“ igitur et „Apollodoru“, Calliopianos recepisse terminationem flexionis latinae — i. Plane idem habes in titulis propriis fabularum. cf. p. 20.

Fabula Eunuchus conversa est e Menandri „*Εὐνοῦχος*“ duabus praeterea assumptis personis ex ejusdem poetae fabula „*Κόλαξ*.“

Heautontimorumenos sine omni contaminatione sequitur Menandri comoediam „*Ἑαυτὸν τιμωρούμενος*.“

Deinde Phormio est Apollodori „*Ἐπιδικαζόμενος*.“ Quamobrem mutaverit nomen hujus fabulae Terentius ipse indicat in prologo v. 27, sed non sufficientem mihi videtur afferre causam. Si meministi quam constanter Terentius alias retinet nomen graecum, non potes accipere ut justam causam Phormionem eum esse „per quem res geretur maxime“, praesertim quum ceteras compares fabulas: Eunuchus a Chaerea nominata est qui eunuchi vestitum sumit, nulla re praestante persona: ibi potius locus fuisset mutationi nominis. Item in Hecyra Sostrata socrus ne secundas quidem agit partes. Omnino apparet ex hoc exemplo, quod Plauti fabularum nominibus affirmatur, veteres minime fabulae nomen indidisse a praestantissimo argumento sive a persona principe, sed saepe a re minoris momenti. Cui similia addi exempla e recentiori tempore, sed non optimorum poetarum, permulta possint. Nomen autem quod Apollodorus dedit fadulae *Ἐπιδικαζόμενος* ex contrario praedicat optime rem totius fabulae filum regentem. Jam hoc apparet, e sola re quod Phormio ageret primas quaeri non posse rectam causam mutandi fabulae nomen. Libenter hanc arriperem causam Terentium mutavisse nomen, quia praeter Menandri etiam exstabat *Ἐπιδικαζόμενος* Anaxippi Diphili Philemonis, sed tale quid certe ipse sibi in excusatione attulisset neque etiam magnam curam habebat ejusmodi ambiguitatis, ut qui sextae comoediae inderet nomen „Adelphoe“, quanquam praeter Menandrum ejusdem nominis fabulam quinque alii poetae graeci (cf. p. 22) in scenam ediderant. Potest igitur nihil aliud statui quam Terentium hoc loco sibi inconstanter egisse et magis libidine quam gravibus commotum causis mutavisse nomen, nulla etiam ratione habita priorum fabularum. —

Alia deinde apud Phormionem oritur quaestio: scholiastes enim affert ad verbum „Epidicazomenon“ in prologo v. 25: „Hic manifestus errat Terentius, nam haec fabula quam transtulit epidicazomene dicta est a puella de qua judicium est: quum sit alia epidicazomenos ejusdem Apollodori. Debuit ergo dicere: „epidicazomenon Graeci.“ Quo adductus scholio Bentlejus scripsit in prologo „Epidicazomenen“: commode quidem et quod haud ita magnam poscit operam. Set tamen consensus codicum hoc loco et in didascaliis indubitatum facit quin „Epi-

dicazomenon" vera sit lectio; et nemo cum scholiasta credet „errare hic Terentium." Terentius ergo scripsit „Epidicazomenon" et sic quoque nominabatur graeca quam vertit fabula; sed quaerendum est quomodo nasci potuerit scholiastae opinio, quam ex suo animo totam sibi invenisse eum non credibile est. Firma atque simplicia verba, quibus profert sententiam suam scholiastes, facile commovere possunt ut fidem sibi concilient quasi ex accurata cum graeca fabula comparatione hausta; sed debilitantur hac sola firmissima ratione, quod Terentius hoc loco errare nullo modo potuerit. Meinekius in fragmentis comicorum graecorum I. p. 465 existimat comoediam Apollodori fortasse *Ἐπιδικαζόμενος ἢ Ἐπιδικαζομένη* fuisse nominatam — sed hujusmodi duplex nomen cogitari non potest, quum eandem rem, modo a duabus personis, significet, mentem vero nulla augeat nova cognitione, quod duplicis nominis solum est negotium. Könighoffius in commentatione „de scholiastae in Terentium arte critica" paullo diutius moratur in hac quaestione et finit in hanc sententiam p. 25: exstitisse et fabulam *Ἐπιδικαζόμενος* et *Ἐπιδικαζομένη* Apollodori; scholiasten argumentum comoediae *Ἐπιδικαζομένη*, quam paullo ante legisset, memoria tenuisse et pro eadem quam Terentius in Phormione convertit habuisse neque operae pretium duxisse ut compararet quam non legerit fabulam *Ἐπιδικαζόμενος* cum Phormione, itaque contendisse hic errare Terentium. Minime raram esse talem levitatem apud illos scholiastas. — Quum nullo modo liceat judicare Terentium erravisse, sequitur ut scholiastes „Epidicazomenon" legerit, et aliam tam similis nominis fabulam Epidicazomenen ejusdem poetae statuere jam per se abhorret ab omni probabilitate et multo magis hic, ubi ex solo hoc scholiorum loco concluditur. Nihilominus statuendum esset tale, nisi alia liceret evadere via ita: scholiastes invenit in textu „Epidicazomenon", quod non intellexit (ejusdem enim nominis fabulas Anaxippi Diphili Philemonis nondum legerat, quin et ipsam hoc loco necessariam prorsus ignoravit); putavit epidicazomenon tantum esse a judicio cuiquam addictum et talem in hac fabula non invenit, pro eo autem mulierem a judicio alicui addictam. Opus erat ut tale quid ex „Epidicazomenon" faceret modo exigua quadam mutatione, unius scilicet literulae, et sive vere crederet Terentium peccavisse sive suam vellet interpretationem valere, perfecit mutationem scripsitque „Epidicazomenen." Sed ipse se prodit verbis adjectis: explicat enim „epidicazomene de qua judicium est", quo solo modo sibi potuit explicare rem, tum addit: „alia epidicazomenos ejusdem Apollodori." Debuit explicare etiam „epidicazomenos" ut contrarium epidicazomenes eoque probare suam lectionem, sed minime facit neque potest.

Ὁ ἐπιδικαζόμενος non Phormio est, quod Meinekius (frgmtt. comic. graec. I. p. 465) contendit, ut *ὃς ἐπεδικάσατο τῇ Φανίῳ*

τοῦ Ἀντιφῶντος: medium enim ἐπιδικάζεσθαι significat „sich zutheilen lassen", et si tamen esset, cur mutavisset Terentius nomen et quomodo quam affert ejus mutationis causam in prologo afferre potuisset? Accipiendum est ἐπιδικαζόμενος vel passive cum Könighoffio p. 22 pro ὃς ἐπιδικάζεται τῇ Φανίῳ, vel ut apud Demosthenem 43, 7 ὁ ἐπιδεδικασμένος καὶ ἔχων τὸν κλῆρον invenitur pro „cui addictus est", vel, quod omnium optimum, medialiter pro „der sich zutheilen lässt;" quod magis convenit fabulae, in qua vere Antipho ipse facit ut Phanium sibi addicatur.

Etiam plus habes difficultatis in determinanda graeca fabula, ex qua versa est Hecyra, non quidem natae e codicibus ipsis, sed tamen e fonte ab omnibus magni aestimato: Bembinus dat „graeca Menandru", in Calliopianis deest tota haec pars didascaliae. Sic omnia optime sese haberent. Tum surgit Donatus edens in praefatione: „haec fabula Apollodori esse dicitur Graeca." Mirum sane, quum alias, quamvis saepe discedat a codicibus, graecam fabulam eandem semper exhibeat. Tum ad ipsam fabulam scholia Donati nonnullos afferunt locos parallelos ex Apollodoro. Verba Donati in praefatione „esse dicitur", item in exitu vitae Suetonianae ab ipso addito: „duae ab Apollodoro translatae esse dicuntur comico" satis demonstrant jam Donati tempore non constitisse graecam fabulam neque in manibus vel omnino notam fuisse. Haec omnia sunt affirmationi sententiae meae graecam fabulam postea esse adjectam, nam si statim ab initio fuisset in primis didascaliis, omnis exclusa erat dubitatio. Quum vero grammatici receperunt didascalias in libros suos didascalicos, sine dubio etiam exploraverunt graecam fabulam (e prologo enim, ubi erat allata probabiliter, sumere non potuerunt, quum primus ille prologus esset interceptus) et addiderunt. De mutatione nominis omnino non potest cogitari, exstitisse fabulam novae comoediae nomine Ἑκύρα necesse est, neque ulla valet causa cur alii quam Menandro adjudicetur haec fabula. Dixeris fortasse: Levitate librarii didascalias Bembino inscribentis facile potuit evenire ut scriberet solitum „Menandru" pro „Apollodoru", eodem modo quo in Adelph. didascaliam inseruit Ambivium solitum pro Minutio Prothymo. Sed tamen reputes: Scripserat librarius bis tantum „Menandru" (in Eun. et Heautont. did.) neque solitum igitur ei jam nunc erat; tum vero in ipsa Phormionis didascalia, proxima ante Hecyrae, scripserat „Apollodoru" et hoc ergo verbum potius debuisset in mentem venire ad Hecyram. — Donati tempore haec Menandri fabula jam evanuerat, habebant autem homines comoediam Apollodori, in qua inveniebantur loci illi paralleli, eoque facile adducti sunt ut eam Terentium in Hecyra convertisse existimarent. Donatus autem, ex accuratiore comparatione cognoscens quam impares sint praeter nonnullos illos locos fabulae, dubitanti-usus est

verbo „dicitur." Denique quod loci illi ex Apollodoro positi sunt in Hecyra ex eo est deducendum: Hecyra e duabus fabulis, una Menandri una Apollodori, contaminata esse potuit ita, ut Menandri comoedia in primis esset quam sequeretur; aut, quod magis arridet ex parvo numero citatorum locorum, Terentius singulos sumpsit versus ex Apollodoro, quod aliter quoque ab eo factum esse pluribus exemplis potest demonstrari et a Könighoffio „de ratione cet." est demonstratum. — Sed ecce alia porro accedit res ad hanc quaestionem difficiliorem reddendam: Sidonius Apollinaris epist. IV, 12 dicit se, dum filius legeret Hecyram, *Ἐπιτρέποντες* comoediam Menandri manu tenuisse, „fabulam similis argumenti quo absolutius rhythmos comicos sequeretur." Conclusio ex hac re in promptu est *Ἐπιτρέποντες* Menandri solam vel una cum Apollodori quadam fabula esse conversam in Terentii Hecyram. Contra Ritschelius affert haec p. 326: 1) Donatus nunquam citat locos parallalos e Menandro 2) Fragmenta e fabula *Ἐπιτρέποντες* quae sunt apud Meinekium nullo loco respondent Hecyrae *). 3) Argumentum Hecyrae tam est simplex, ut vix ulla possit deesse scena vel ad unam solidam comoediam. — Quae omnia cadunt optime si mihi assentis**). — Etiam quae ad *Ἐπιτρέποντες* spectant omnia possunt enucleari: Propter Sidonii verba nondum statuere necesse est eam fabulam Hecyrae Terentianae eandem. *Ἐπιτρέποντες* et *Ἑκύρα* Menandri simili conditione compositae erant quam *Ἀνδρία* et *Περινθία*. Utraque earum simillimi erat argumenti (Sidonius „similis argumenti", Terent. prol. Andr. 11 „non dissimili argumento"), quod de Menandro, qui poeta plus centum scripsit fabulas angustum modo vitae humanae circulum complectentes (ut e certis et fixis et ubique occurrentibus personis et nodis fabularum apud Terentium optime cognoscitur), minime est mirandum. Sed quum Terentius duas tam similes comoedias Menandri, Andriam ac Perinthiam, contaminavisset, ideo tamen cum alteris duabus eodem modo inter se similibus non idem facere debuit.

A d e l p h o e Terentii est conversa ex Menandri *Ἀδελφοί* recepta etiam parte Diphili fabulae *Συναποθνήσκοντες*.

---

*) Haec causa minus sufficit, nam etiam in fragmentis e Menandri *Ἀδελφοί* apud Meinekium nihil est quod conveniat cum Adelphis Terentii.

**) Recte retineri potest etiam nunc dubitatio, quia tota mea explanatio complures casus fere mirificos ponit, quorum in primis est si dico Hecyram Menandri Donati tempore jam intercidisse, quum vel nunc tantum septem sive octo ex plus centum Menandri fabulis sint, quorum nullum vestigium servatum est — sed tamen quisque concedet possibile esse rem ita se habere ut dixi, et nisi hanc quaestionem turbidam totam dilucidam et planam feci (quod an omnino fieri possit dubium est), tamen fortasse explicatio mea vel aliquantulum proficit in hac re.

Septima haec pars didascaliarum incipit a „graeca.“

Jam octava est pertractanda pars didascaliarum, a grammaticis addita item ut septima, numerus fabulae. Exprimitur ita: ad „facta“, quod respondet verbo ἐποιήθη in Euripidis hypothesesin, adjungitur numerus ordinalis sive solum signum numeri, utrumque promiscue et in Bembino et in Calliopianis. Sed quaeritur quid sit hic numerus, utrum significet ordinem fabularum chronologicum, quo poeta eas composuerit, an ordinem fabularum in manuscriptis. Quorum primum non probabile est, quum nemo posset scire centum annos post ipsum Terentium (quo libri didascalici praecipue conficiebantur) quando sit facta fabula. Altera autem ratio gravem auctoritatem sibi conciliat eo, quod Bembinus fabulas hoc ipso ordine quem numeri demonstrant exhibet.

Sequitur ultima et nona didascaliarum pars, quae determinat chronologiam actionum fabularum, consules anni quo acta est fabula. Atque sunt in hac re, qua summum codicum consensum jure exspectes, e contrario plurimae discrepantiae. Quae quomodo potuerint evenire jam p. 25 sqq. est expositum. Externa hujus partis forma est: consulum nomina in ablativo absoluto, ut solent et alias ubique poni. Nomina autem semper duo sunt allata utriusque consulis, praenomen et nomen, tantum in Adelph. did. etiam cognomen Cethegus et secundi consulis non praenomen et nomen sed praenomen et cognomen, L. Gallus (ita in Bembino), quem Calliopiani solo nomine „Anicio“ significant „L.“ ante id omisso. Nomina auctorum ludorum item inveniuntur duo, praenomen et nomen, saepius autem omnia tria nomina. In principalibus didascaliis consules pleno nomine*) nominabantur addita etiam enarratione cujus filius cujus nepos, cf. p. 27. Verbum „consulibus“ ut solet est breviatum, sed non usitata ratione in „coss.“ sed in „cos.“ in Bembino semper, quam formam vetustiorem esse inscriptiones quae vocantur multis exemplis probant. Calliopius contra ubique dat „coss.“, breviationem recentiorem. In Eunuchi did. consentiunt nomina consulum et plena sunt haec: M. Valerius Messalla et C. Fannius Strabo, qui munere functi sunt anno 592 a. u. c. De verbo „Mummio“, quod est interpositum inter „C.“ et „Fannio“ in Calliopianis, jam p. 26 sqq. dixi, ubi etiam posteriorem Eunuchi actionem anno 632 tribuendam, ad quam Bembinus exhibet aediles, commemoravi. In Suetonii vita Terentii legitur: „Eunuchus quidem bis . . acta est“, ubi post „bis“ aliquid excidit sive numerus sive, quod probabilius, aliud quoddam („pro nova“ conjicit Ritschelius). Certo tamen ex eo scimus Eunuchum bis minimum esse actam, et non multos post annos longo interveniente spatio temporis

*) Ut apud Livium quoque ubi primum afferuntur.

sed deinceps. Significare vult Suetonius quantum tulerit applausum fabula idque non melius potest quam si dicit: Populi voluntate est denuo acta. Quando facta sit haec repetitio a Suetonio non enarratur, sed verisimile est eodem die, minimum iisdem ludis. cf. Ritschel. p. 332. ann. 2. Ad hanc vero non iterum composita est didascalia, quum modo continuet quasi primam actionem. Sin autem longius intercessit intervallum inter plures actiones ejusdem fabulae, ad quamque etiam didascalia inscripta est commentariis magistratuum, et una Eunuchi erat a. 632.

Difficiles habet explicatus chronologia Heautontimorumenu. Nam in Bembino est „Cn. Cornelio Marco Juvenio cos.“, in Calliopianis autem „M. Junio T. Sempronio coss.“, in in quibus hoc apparet, ut annus 590 sit intelligendus, quo Ti. Sempronius Gracchus et M'. Juventius Thalna consules et, qui consentiunt in omnibus codicibus, L. Cornelius Lentulus et L. Valerius Flaccus erant aediles curules. Illa quae citavi consulum nomina inesse quasi stirpem iis quae tradunt didascaliae constare mihi videtur, neque Geppertus est audiendus, qui p. 560 Bembini Marcum Juvenium cum Calliopianorum T. Sempronio vult conjungere, item Calliopianorum M. Junium cum Bembini Cn. Cornelio. Quo enim mirabili casu justi duo consules distracti unus in Bembinum alter in Calliopianos devenerint? Tum quem Calliopiani dant M. Junius tam similis M. Juventio, ut plane non aliter possit cogitari quam ortus ex eo. Item M. Juvenius Bembini perspicue demonstrat originem suam e M'. Juventio deducendam. Bembini „Marcus“ et Calliopii „M.“ ex „M'.“ est natum facillimo errore. Restat tamen semper quod egeat explicatione „Cn. Cornelio.“ Atque hoc loco non praetereunda est tota didascaliarum conditio in Bembino: Secundum Geppertum p. 572 neque ab eadem manu neque eadem diligentia sunt scriptae qua ipse textus. Sunt igitur postea relatae et, ut licet conjicere, e libro didascalico recta via; nam si jam fuerunt in codice, ex quo est exscriptus Bembinus, certe una cum fabulis essent exscriptae ab eodem librario. Fingas igitur librarium omnes didascalias leviter oculis perstringentem invenisse Cn. Cornelium, et facile potuit fieri ut eum quamvis ad plane aliam spectantem actionem ad primam confusione referret. Qui error sane non solito fiet, sed sine dubio potest fieri a levi librario. Nunc vero admirabilem ecce rem! Cn. Cornelius in Heautont. didascaliam Bembini falso receptus et qui in Calliopianorum didascaliam Eunuchi abundanter est insertus Mummius — duo haec nomina optime inter se quadrant, justos scilicet dantes consules anni hoc loco valde idonei: Erant enim Cn. Cornelius Lentulus et L. Mummius Achaicus consules anni 607. Quod nimis est notabile, ut non grave aliquid possit ex eo concludi, et ita mihi rem disposui: In libris didascalicis se-

cunda (sive tertia quarta — omnino posterior) Eunuchi actio enarrata erat consulibus Cn. Cornelio Lentulo L. Mummio Achaico — et erant quidem consules, ut saepius dixi, juxta didascalias ut temporum descriptio appositi ita, ut facile posset perspici quam saepe et quando erat acta fabula.

Sed brevibus in hac re opus est attingere quot actiones ejusdem fabulae veresimile est in libris didascalicis fuisse enumeratas: Regebatur hoc, ut perspicuum est, tempore quo vixit grammaticus auctor talis libri. Plurimi eorum haud ita multum post Terentium vixerunt, ante omnes Varro, cujus liber „de actionibus scenicis“ „wohl das Hauptbuch dieser Gattung“ (Ritschelius p. 321) erat. Quoniam raro tantum repetitio fabularum apud veteres fieret, facile intelligitur in libris illis grammaticorum paucas tantum exstitisse didascalias ad quamque fabulam *).

Eunuchi quoque paucae actiones descriptae erant in libris didascalicis, unde transierunt in manuscripta, inter eas vero una ex anno 607. Librarius properante oculo legens paucas illas actiones in libris grammaticorum facile peccavit in consulum nominibus, et, ut in Calliopianis, adjunxit nomen gentile unius consulis quem memoria tenebat justis consulibus, non animadversa perversitate qua duo gentilia nomina prope posuit — fortasse etiam commotus similitudine vocum „Fannio“ et „Mummio“ duplicibus in medio consonantibus effecta. Altera ex parte qui Heautont. didascaliam intulit Bembino ex didascalico libro inspexit forte etiam proximas antecedentes didascalias et earum consules**), quod nolenti potuit accidere, tum toti scriptae didascaliae quum consules voluit addere, „Cn. Cornelio“ legisse sibi visus est, fortasse etiam iterum oculos istuc conjecit, sed iterum ad falsum consulem. Qui error eo magis est excusandus, quum paullo ante apud aediles nomen „Cornelio“ scripsisset. Exploratae igitur sunt tres Eunuchi actiones, prima 592 secunda 607 tertia 632. Geppertus p. 556 item pervenit ad secundam actionem anni 607, sed alia prorsus via, inde scilicet progressus, quod „C.“ ante „Mummio“ in nonnullis codicibus est suppletum in „Cornelio.“ De qua re jam p. 26 plura disserui. — Ad Heautontimorumenon ergo tantum unius primae actionis (590) exstant consules. —

*) Ex eadem re petenda est causa frequentium in consulum nominibus errorum: Si enim longa actionum series deinceps erat enumerata, jam opus erat majore attentione ejus didascaliae quam exscribebat; sin autem duae tres quattuor tantum didascaliae exstabant, facile ex una in alteram incidit librarius.

**) pono hoc loco, quod mihi concedetur, Eunuchi didascaliam illam ex anno 607 quod minimum paenultimam fuisse omnium Eunuchi didascaliarum et Heautontimorumenu primam mox eam esse secutam.

Sed si quis sic occurrit disputationi, esse in mea Cornelii et Mummii interpretatione non minorem incredibilem casum quam in Gepperti sententia Cn. Cornelium Bembini trahentis ad Calliopianorum M. Junium, quam supra (p. 43) rejeci: Recte quidem, memorabile factum. Sed quam protuli explicatio non contorta est ut Gepperti, tum difficultates duarum didascaliarum tollit: praeterea excusationes idoneae quas attuli ejus erroris exstant. Geppertus dicit „durch Nichts gerechtfertigt" si M. Juvenius Bembini pro eodem consule quam Calliopii M. Junius habetur: immo mihi videtur „durch Nichts gerechtfertigt" si id non facis. Ubi M.' Jventius et Ti. Sempronius justi sunt consules et pro iis inveniuntur M. Junius et T. Sempronius, quis dubitare potest alterum modo errore librarii esse ortum? praesertim quum praenomen idem sit (M. pro M'.). Geppertus autem nomina vi adigit in interpretationem suam plane alia indens praenomina. Quanquam per se possibile est praenomina peccato librarii esse mutata — quod persaepe factum est — tamen si simplicior suppeditat explicatio rejicienda est altera difficilior.

In didascalia ad Phormionem codices item exhibent diversos consules, Bembinus „Q. Caspione" (peccatum pro „Caepione") „Cn. Servilio." In quibus verbis id primum animadvertitur, ut nomen gentile prioris consulis desit: Caepio enim est cognomen. Habes vero duas rationes (cf. Ritschel. p. 250 ann.): Aut existimas „Q. Caspione" conjungendum esse cum „Servilio", aut „Caspione" falsum locum obtinere ad „Cn. Servilio" ut cognomen referendum. Cui utrique rationi exempla ex fastis consularibus praesto sunt: Primum Q. Servilius Caepio cum C. Laelio Sapiente consules anni 613 erant*). Alteri rationi vel duo espondent exempla: occurrit enim illo tempore Cn. Servilius Caepio bis consul et semper una cum altero consule praenomine Q., 584 cum Q. Marcio Philippo, 612 cum Q. Pompejo Nepote. Sed ad annum 584 non est regrediendum, quippe qui ante primae fabulae Andriae primam actionem sit (de qua re postea), et omnino quum Bembinus, ubi discedit a ceteris codicibus, primae actionis didascaliam habere non soleat. Manet ergo huic alteri parti annus 612. Quid igitur fiet?

Utraque ratio proba est et plane idoneum significat annum. Indubitata argumenta nulla afferri possunt, sed tamen malim complecti alteram rationem, qua Q. Pompejus Nepos et Cn. Servilius Caepio consules a. 612 traduntur. Hic enim quum etiam praenomen rectum est Cn. alterius consulis, quod si alteram sequeris peccatum pro C. debes interpretari, tum facilius potuit confundi praenomen quam gentile, et Bembinus ipse alterum exemplum praebet transpositi praenominis in actoribus dida-

*) ubi Cn. pro C. facillimum peccatum esset; falso Ritschelius l. l. narrat collegam Q. Servilii Caepionis praenomen Cn. habuisse.

saliae ad Hecyram, transpositi vero gentilis nullum. Statuendus igitur erit annus 612 quo denuo acta est Phormio. Calliopiani ostendunt primae actionis consules C. Fannium et M. Valerium, magistratus anni 592.

Ad Hecyram promptior est temporum conditio omnibus codicibus consentientibus. Non ad omnes tres actiones de quibus refert didascalia habet consules, sed modo ad primam, et ad tertiam ex quibus item potest concludi tempus aediles. Ad primam afferuntur Cn. Octavius T. Manlius (Manius falso scriptus in Bembino), consules anni 588, pleno nomine Cn. Octavius T. Manlius Torquatus. Non placuit fabula. Relata est „ludis funeralibus L. Aemilio Paulo.“ Hic non nominantur consules, sed noti sunt ex didascalia Adelphorum, fabulae iisdem actae ludis: L. Anicius Gallus M. Cornelius Cethegus, consules a. 593. Ad tertiam vero actionem modo aediles curules enumerantur Q. Fulvius L. Marcius, pleno nomine Q. Fulvius Nobilior L. Marcius Censorinus, aediles ejusdem anni 593 (cf. Schubert p. 387) quo secundo acta est fabula. Hujus actionis ludi non afferuntur in didascalia neque pro certo poterunt determinari, nisi ante tempus ludorum illorum funeralium accurate compertum est, quod nondum evenit. Pighius annal. II, p. 413 conjicit ludos romanos esse intelligendos, cui profecto aliquantum fidei jam ideo conciliatur, quia paullo ulteriore anni tempore erant mense septembri, dum megalenses aprili celebrabantur.

Neque plus habes difficultatis in consulibus ad Adelphos: in Bembino sunt Marcus Cornelius Cethegus Lucius Gallus, in Calliopianis Anicius M. Cornelius. Omissum est in Bembino nomen Anicius inter Lucium et Gallum, in Calliopianis praenomen L. ante Anicium — quae omnia e levitate librarii optime possunt explicari. Annus hujus actionis est 593.

Sequuntur quas e didascaliis eruere conatus sum actiones ordine enumeratae:

588	ludis	megalensibus	Hecyra primum.
590	„	„	Heautontimorumenos.
592	„	„	Eunuchus.
592	„	romanis	Phormio.
593	„	funeralibus	Hecyra secundum.
593	„	„	Adelphoe.
593	„	(fortasse romanis)	Hecyra tertium.
607			Eunuchus relata.
612	„	megalensibus	Phormia relata.
632	„	romanis	Eunuchus relata.

Ad has jam cognitas accedit Andria, ut hoc praedicam, a. 587 prima acta. Sunt igitur hoc ordine primum actae fabulae Terentii: Andria Hecyra Heautontimorumenos Eunuchus Phormio Adelphoe. Jam apparet ordo quam diversus sit actarum

quam factarum („facta“ in didascaliis) fabularum. Non praetereunda ergo est quaestio hic oriens, quid sibi velit ordo ille fabularum in codicibus numero in didascaliis constitutus, unde sit sumptus. Cogitari enim non potest eum libidine esse factum, sed certam causam exstare oportet. Nec vero poterat sumi nisi aut ex actione aut ex ipsa compositione, quorum primum non possibile est, quum ipse ordo actarum fabularum plane diversus sit. De altera autem ratione profecto valet quod p. 42 dixi, non credi posse viros auctores librorum didascalicorum fere centum annos post Terentium degentes certo scivisse tempus quo fecerit poeta fabulas singulas; sed tamen cogitari potest traditionem ordinis quo poeta composuerit comoedias servatam esse in codicibus inde e seculo ipsius Terentii. Quod, ne dici possit ordinem fabularum in codicibus libidine esse institutum, statuendum erit. Tum octava illa pars didascaliarum primum quidem significat numerum quo sequebantur fabulae alia aliam in manuscriptis, indirecte autem tempus quo factae erant a Terentio. Cui sententiae repugnare videtur diversus ordo: Hecyra enim secundum locum et Eunuchus quartum in actione obtinent, quae secundum didascalias quinto et secundo loco factae sunt. De Hecyra omnia possunt explanari, dummodo actionem primam didascaliis indicatam ad antiquissimam Hecyram, quae non placuit neque servata est, spectare putes, et „facta V.“ ad retractatam et pro nova actam a. 593, quae ad nostram aetatem pervenit. Data est haec nova facta Hecyra iisdem Adelphis ludis, sed non dubium videtur quin tempore ante Adelphos ponenda sit ita, ut primum poeta retractaverit veterem explosam fabulam, tum novam (Adelphos) confecerit. Et nisi alia causa adesset, jam solo ex hoc didascaliae numero sic statuere necesse esset. Ita sola Eunuchus non eodem quo facta ordine acta est, cur? scire non licet.

Afferam, ut quasi uno conspectu comprehendi possint omnia, quae antecedente disputatione sunt explorata, antiquissimas codicum didascalias rationem modo primarum habiturus actionum, quum posteriorum omnis certa norma — quatenus sunt omissae partes alia — desit. Tantum ad Hecyram tres illas actiones necessarias, quarum etiam exstant satis multae didascaliarum partes, commemorabo:

Eunuchus Terenti. acta ludis megalensibus L. Postumio Albino L. Cornelio Merula aedilib. curulib. egit L. Ambivius Turpio L. Hatilius Praenestinus. modos fecit Flaccus Claudi. tibis duabus dextris tota. graeca Menandru. facta II. M. Valerio C. Fannio cos.

Heautontimorumenos Terenti. acta ludis megalensibus L. Cornelio Lentulo L. Valerio Flacco aedilib. curulib.. egit L.

Ambivius Turpio L. Hatilius Praenestinus. modos fecit Flaccus Claudi. acta est primum tibis inparibus deinde duabus dextris. graeca Menandru. facta III. M'. Juventio Ti. Sempronio cos.

Phormio Terenti. acta ludis romanis L. Postumio Albino L. Cornelio Merula aedilib. curulib.. egit L. Ambivius Turpio L. Hatilius Praenestinus. modos fecit Flaccus Claudi. tibis inparibus tota. graeca Apollodoru Epidicazomenos. facta IV. C. Fannio M. Valerio cos.

Hecyra Terenti. acta ludis megalensibus Sexto Julio Caesare Cn. Cornelio Dolabella aedilib. curulib.. egit L. Ambivius Turpio L. Hatilius Praenestinus. modos fecit Flaccus Claudi. tibis paribus tota. graeca Menandru. facta V. Cn. Octavio T. Manlio cos.

relata est L. Aemilio Paulo ludis funeralibus quos fecere Q. Fabius Maximus P. Cornelius Africanus. egit L. Ambivius Turpio L. Sergius. M. Cornelio Cethego L. Anicio Gallo cos.

relata est ludis (romanis?) Q. Fulvio Nobiliore L. Marcio Censorino aedilib. curulib.. egit L. Ambivius Turpio L. Sergius. M. Cornelio Cethego L. Anicio Gallo cos.

Adelphoe Terenti. acta L. Aemilio Paulo ludis funeralibus quos fecere Q. Fabius Maximus P. Cornelius Africanus. egit L. Hatilius Praenestinus Minutius Prothymus. modos fecit Flaccus Claudi. tibis sarranis tota. graeca Menandru. facta VI. M. Cornelio Cethego L. Anicio Gallo cos.

Ita didascaliis uti exstant in codicibus usque ad finem pertractatis nonnulla liceat addere verba de pretio codicum, quid valeant ad didascalias. Intelligitur hic quoque, ut dudum constat, Bembinus praestantissimus codex. Servavit verba principali forma, quod summum est laudis quod tribui potest codici. Non offendit in ea re quod didascalias ipsas hausit e libro didascalico, in quo antiquissimus ordo jam additamentis grammaticorum erat intermissus, dum Calliopius additamenta antiquissimae didascaliae habet adjecta in fine. cf. p. 11. Librarius Bembini sine consilio reddidit omnia quae invenit in exemplari suo, erat sine dubio non doctus homo, quod ad accurate tradendum libri textum semper magis est opportunum. Exempla ubi Bembinus dat antiquiorem formam sunt: Hatilius. tibis. Menandru. Apollodoru. cos. primum (did. Heaut.). inparibus. Lucio Aemilio Paulo (didd. Hec. et Ad.). funeralibus. — dum Calliopius doctus homo sui temporis sequens usum mutavit in: Atilius. tibiis. Menandri. Apollodori. coss. prima. imparibus. Aemili Pauli (did. Ad.). funebribus. — Sed altera ex parte Bembinus confertus est mendis. Quod Geppertus animadvertit dicens loco jam semel allato p. 572: „Dieselben (die Didaskalien) sind weder von derselben Hand nach mit derselben Sorgsamkeit geschrieben wie der Text

selbst. Dieser hat Lapidarschrift, jene haben Cursivschrift und tragen mannichfache Zeichen der Flüchtigkeit, wie man leicht sieht.“ Singula jam quodque suo loco commemoravi, hic omnia conferam. Partim sunt proprie scripturae menda: duabis pro duabus (Eun.) Juvenio p. Juventio (Heautont.) Caspione p. Caepione (Phorm.) Manio p. Manlio (Hec.) Adelphos p. Adelphoe serranis p. sarranis (Ad.) — partim similia verba quae memoria tenuit librarius sunt posita: Lucio Julio p. Lucii filio (Eun.) actae p. acta est (Heaut.) Flaccus p. fecit (Hec.) modos p. quos (Ad.) L. Ambivius Turpio p. Minutius Prothymus (Ad.) — partim vero transposita habes verba: tibis duabus dextris et modos fecit Flaccus (Eun.) Caspione (Phorm.) Turpio (Hec.) — saepius etiam omissa verba: Turpio post Ambivius (Eun.) Claudi post Flaccus (Eun.) ludis post acta (Heaut.) L. Hatilius Praenestinus post Turpio (Heaut.) Anicio ante Gallo (Ad.). Quae quidem omnia menda in quoque occurrunt codice, sed si tam parvo spatio ita fiunt frequentia, summam librarii produnt levitatem. Constat ergo didascalias Bembini ab alia quadam manu quam ipsum textum scriptas et leviter quidem scriptas esse, et in promptu est ex eo conclusio postea eas illatas esse codici recta via e libro quodam didascalico, cui venerabilis Bembini vetustas favet. cf. p. 43. Contra Calliopii textus admodum est limatus et multis in recentiorem linguae usum traductis verbis ostendit grammaticum recensentem. Scripturae menda et alii ejusmodi errores perrara sunt. — Ita igitur constituenda erit res: Nisi habes mendorum quae supra significata sunt et facile agnoscuntur unum, Bembinus summam et veram auctoritatem habet, quia librarius quamvis levis tamen de mutatione nullo loco cogitabat. Calliopii recensio, ut patet, magna cum intelligentia est facta, et mutationes quae inveniuntur tantum sunt vocabula obsoleta ad posterioris aetatis morem composita. Confusio in consulum nominibus, quae in Bembino saepius fit, in Calliopianis praeter illud „Mummio“ in Eun. did. non reperitur. Quum autem Calliopianorum didascaliae, ut certum mihi videtur, alio ex fonte quam Bembini sint haustae, item obtinent magnam auctoritatem, et si conjunguntur Bembinus et Calliopii codices, certissime principales didascaliae possunt constitui.

Pars posterior.

Mirum certe jam fuerit lectori Donatum, qui summa auctoritate apud omnes quot Terentio operam dederunt floruit, a me exceptis nonnullis locis prorsus esse neglectum, neque lectiones discepantias, quae in ejus praefationibus exstant plurimae et gravissimae, uno verbo commemoratas esse. Sed certo consilio ita egi, existimans scilicet optimum si didascaliae solo codicum auxilio possint enucleari — quod disputatione antecedente conatus sum facere. Nunc paucis pertractabo Donati quas affert in praefationibus res didascalicas et cum codicibus manuscriptis comparabo, quo facto satis liquebit quid praestet Donatus hoc loco. Ad Heautontimorumenon quum plane desint praefatio et scholia Donati, tantum quattuor didascaliarum ad Eunuchum Phormionem Hecyram Adelphos comparatio cum codicibus poterit institui. *)

O r d o singularum partium didascaliarum haud ita certa inclusus est norma apud Donatum: ita existimare possis e ratione praefationum periphrastico magis more compositarum; sed tamen hic quoque agnoscitur principalis forma. Inducuntur enim hae partes: ludi auctores eorum actores melopoeus genus musicorum semper hoc ipso ordine. Etiam numerus fabulae et consules semper in fine et recto ordine inveniuntur. Sola graeca fabula initio praefationis posita est et sequuntur eam plura de modo convertendi fabulas Terentii, de personis principibus, de partitione fabulae in actus alia. Et omnino singulae partes non primitiva brevitate proferuntur, sed, quod periphrasi magis convenit, saepe aliis sunt redditae verbis, brevioribus sive longioribus sociatae annotationibus — sed semper eodem ordine. Ex his conclusio parata est Donatum didascalias referre ordine quem demonstravi tempore posteriorem, quo graeca fabula statim post latinam posita erat — sed Hecyrae et Andriae didascaliae in praefationibus indubitanter probant eum saltem in his duabus didascaliis alterum ordinem ante oculos habuisse, ubi graeca fabula ante numerum denique comoediae erat. Nam in praefatione Andriae exhibet „Et est tota Graeca" post musica, et in Hecyrae praefatione „Tota Graeca est" eodem loco. In quibus verbis primum animadvertis errorem etiam in editionibus didascaliarum usitatissimum: „tota", quod spectat ad antecedentia verba musicorum genus, falso ad sequentia est sumptum. Tum vero, quod hoc loco valet, illud „tota Graeca" verissime demonstrat hic positam fuisse graecam fabulam, et eo plus valet, quum duo illi loci ipsis in praefationibus Andriae

*) Ad manum habui textum Donati in Stallbaumii editione Terentii.

et Hecyrae sint, quae omnes didascaliae partes forma paene principali exhibeant. Loquitur autem Donatus initio praefationis more suo etiam hic de graeca fabula. Jam si porro quaeris, cogitare potes Donatum in exemplari suo semper antiquiorem habuisse ordinem et ubi non habet „tota est Graeca" etiam in codice defuisse verbum „tota" — quod valde probabile videtur. Sed tamen aliquis si credat ordinem didascaliarum in Donati quam sequeretur codice diversum fuisse, ut nunc quoque in Bembino, etiam hoc concedendum est. Certe dijudicari non potest res.

Donati didascaliae omnes sunt integrae easdem complectentes partes quam codicum. Modo ad Hecyram non omnes tres habet actiones sed solam primam. Paullo ante commemorat paucis verbis adversos fabulae casus ita: „saepe exclusa haec comoedia" — atque fortasse rectius putavit agere, si ut ad ceteras comoedias primam tantum actionem referret. Quod vero in codice ejus omnes tres actiones erant descriptae ut in nostris codicibus, id postea apparebit.

Transeo ad singulas partes.

Quae Donatus de prima parte, poeta et titulo latinae fabulae, argutatur, de iis jam p. 17 sqq. satis est disceptatum.

In secunda parte ludis enarranda Donatus ad Eunuchum sequitur Calliopium, ad Phormionem autem rectas quidem Calliopii descriptiones refert sed falsos ludos, megalenses pro romanis, ut ergo Eunuchus et Phormio secundum eum essent actae iisdem ludis ejusdem anni. Quod e levitate Donati explicandum est.

Tertia deinde pars auctores ludorum ad Eunuchum et Phormionem justi exstant primae actionis, ubi non praetereundum est silentio Donatum scribere „Posthumius" recentiori forma pro codicum „Postumius." — Ad Hecyram autem pro Sexto Julio Caesare et Cn. Cornelio Dolabella legis apud Donatum Sextum Julium et C. Rabirium. Unde sumpserit Donatus hunc Rabirium miserum tanquam de coelo devulsum scire non licet, quoniam neque aedilis ullus neque consul nomine Rabirius unquam exstiterit. Historia populi romani duos C. Rabirios tradit, quos Cicero in duabus ad nostram aetatem servatis orationibus defendit; atque jam cogitari possit Donatum e lectione orationum Ciceronis memoria tenuisse illud nomen et huic loco intulisse, quum idem in libello „de tragoedia et comoedia" totum illum locum de tituli pronunciatione hauserit ex ejusdem Ciceronis academicis. cf. p. 8. Sane ad Hecyrae prologum v. 1 in Donati scholiis solida ad omnes tres actiones accuratissima didascalia exstat, etiam pro C. Rabirio recte enumerans Cornelium Dolabellam — sed ne minima quidem licet ex ea re conclusio, quum jam pridem constet (cf. Schopenium „de Terentio

et Donato ejus interprete") scholia Terentiana sub Donati nomine tradita ab uno viro composita non esse: quod primo aspectu scholiorum affirmatur satis. Pro explorato igitur haberi potest accuratam didascaliam a scholiis ad v. 1 prologi allatam non esse additam a Donato, neque enim cogitari potest tam vecors, ut in praefatione didascaliam et omnia quae pertinent ad fabulam enarret, tum ad prologum iterum attrahat didascaliam et plane aliam quidem. — In praefatione Adelphorum prorsus omissi sunt auctores ludorum neque sunt ita necessarii, quum ludis funeralibus L. Aemilio Paulo jam satis significatum esset tempus.

Sequuntur actores quarta pars, in quibus enumerandis fere semper discrepat a codicibus Donatus. Jam ad Eunuchum talem discrepantiam aspicies, dicit enim: „etiam tunc personatis L. Numidio Posthumio L. Ambivio Turpione", dum codicum auctoritate L. Ambivius Turpio et L. Hatilius Praenestinus stant. Geppertus p. 556 duplicem sibi excogitat actionem ad secundam referens Numidium Posthumium, sed idem etiam Posthumium ex aedilis nomine esse repetitum posse concedit. Quod recte fecit, sed prius quoque nomen „Numidius" cur non item explicat ex errore quodam, quod accuratius contemplanti statim in mentem veniet? Apud Donatum Eunuchus tertia erat fabula, Andria prima, Adelphi secunda et eodem ordine credibile est eum confecisse praefationes suas. Invenit autem in didascalia Adelphorum actorem Minutium Prothymum, quem quidem in praefatione ad Adelphos non scripsit, sed tamen legerat et in animo habebat. Quum igitur in sequente prafatione pervenit ad actores enumerandos, illum Minutium Prothymum protulit, sed sive ipse sive librarius ejus detorta forma e „Minutius" transpositis duabus prioribus syllabis effecit „Numidius" et e „Prothymus" secundum analogiam alterius aedilis „Posthumius." Quod additum est praenomen L. ex eo ortum videtur, quod uterque aedilis et alter actor eo praenomine sunt inditi. Initium et finis totius rei, Minutium Prothymum esse mutatum in Numidium Posthumium, firmissime stant, sed fortasse alia causa mutationis est adjudicanda Donato. Potest esse ut „L. Ambivius Turpio" cogitaret jam duo esse nomina et alterum actorem in sequentem igitur didascaliam esse referendum — vel simile quoddam. — In praefatione ad Phormionem Donatus actores nominat L. Cassium Atilium et L. Ambivium, manuscriptis autem L. Ambivius Turpio et L. Hatilius Praenestinus traduntur. Geppertus p. 563 more suo libenter Cassium Donati pro tertio vult accipere actore ad alteram actionem pertinente. Sed quum ex tam singulari nomine apud Donatum nihil tam grave concludere liceat, Geppertus hanc suam suspicionem abjicit; comparationes enim paucae quas feci jam demonstraverunt et quae sequuntur quaestiones satis demonstrabunt Donati praefationes in rebus dida-

scalicis mira et indigna negligentia esse compositas. Etiam hoc Cassio ad Phormionem arrepto, quem quomodo explicem plane nescio, certo comprobatur Donatum didascalias minime exscripsisse accurate, sed percursis verbis memoriter retulisse admiscentem hic atque illic notas suas, quod rationi grammaticorum illius temporis sine gravi diligentia agentium optime convenit. In Hecyrae praefatione solum L. Ambivium nominat, quanquam sine dubio in antlquissimis didascaliis hic quoque duo actores referebantur. Non sunt aperte nominati actores ad actionem principem in codicibus, sed antea (p. 17) quae mihi probabilis videtur sententiam exposui. Sed omnino quaeritur num Donatus ad primam actionem solidiorem habuerit didascaliam (etiam actores nominatim afferentem) quod mihi dubium videtur. Ritschelius p. 322 jam pro certo edixit Donatum antiquioribus libris didascalicis usum non esse; quum tempore ejus didascaliae in manuscripta jam transiissent — quod ipsum e praestantibus nostris codicibus videre licet. Donatus ergo didascaliam Hecyrae probabiliter eadem sive valde simile forma habuit qua nunc in codicibus exstat, ut tres essent enarratae actiones: sed unam primam modo retulit. Certum porro est Donatum in codice suo item non legisse actores duarum priorum actionum, sed solum ad tertiam L. Ambivium et L. Sergium (de quibus p. 16 sqq. longius disputavi). Tum duas habes rationes: aut Donatus hos actores ad tertiam actionem pertinentes solita levitate ad primam scripsit et alterum omisit — quod non placet, quum alias duo semper (quamvis falsa saepe) nomina actorum proferat; aut meditatus est se, quum primam tantum enarret actionem, etiam primae tantum actores referre posse. Invenit autem hos actores in nullo codice et partim ex secundo Hecyrae prologo, quo profitetur ipse Ambivius se priores quoque rexisse actiones, sumpsit. Potuit vero ex eo secundum non cognoscere actorem ideoque solum Ambivium nominat. — In praefatione Adelphorum Donatus actores habet L. Ambivium et L. Turpionem. Quae distortio unius nominis in duo libenter excusatur, si apud rudem et sine judicio agentem librarium est (ut in Hec. did. Bembini), sed grammaticum, qui paullo ante L. Ambivium Turpionem pro uno nomine scripserat (in Andriae praf.) tale quid sibi admittere vix credibile est. Duplicem tantum ejus rei explicationem poteris dare: Aut preefationes non ab uno auctore sunt compositae aut sunt ab uno, sed a viro levissimi et prorsus incerti animi. Quorum primum non est probandum: dictio enim et ratio qua disseritur in omnibus praefationibus eadem sunt. Stat igitur altera ratio.

Similem observas absurditatem in sequente quinta parte melopoeo: Nominatur in omnibus codicibus „Flaccus Claudi.“ Donatus ex eo fingit in praefationibus ad Eunuchum et Hecyram „Flaccus Claudius“, falsum quidem, sed tamen excusabile e

mendo scripturae; ad Phormionem autem et Andriam pro eo habes „Claudii filius." Ut nihil dicam de falsa interpretatione verbi „Claudi", quam grammaticus latinus committere non debebat; sed ut varient „Flaccus Claudius" et „Flaccus Claudii filius", id eandem prorsus monstrat rem, cui levitatis nomen imponere nimiae lenitatis videtur signum. — Incipit haec didascaliarum pars in codicibus verbis „modos fecit." Donatus servat ea in praefationibus Andriae et Phormionis, in Eunuchi varietatis causa pro iis inducit verbum deponens „modulari" (forma „modulante"), item in Hec. praef. „Modulatus est eam Flaccus" et ad Adelphos passive „modulata est" (sc. fabula) omisso nomine melopoei. Ex hac forma passiva „modulata est" nondum concludere fas est verbum activum „modulare" exstitisse, sed derivatur ea quoque a verbo deponente, et „modulavit", quod in Eun. did. Bembini invenitur, pro mendo librarii judicandum est.

Haud minor quam apud actores observatur diversitas apud sextam partem musicorum genus. Jam id praemonendum est et mox satius patebit, Donatum nullum habere vel minimam suspicionem de vera vi diversarum tibiarum, ne de generali quidem discrimine dextrarum et sinistrarum. — Eunuchus secundum manuscripta est acta „tibis duabus dextris." — Donatus affert „tibiis dextra et sinistra." Quid igitur fiet? Nullam dubitationem admittunt verba „tibis duabus dextris" et tamen illa diversitas! Consideranda est [ad haec omnia melius perspicienda Donati de tibiis dextris et sinistris opinio, quam profitetur in libello „de tragoed. et comoed." sic: „dextrae autem et Lydiae sua gravitate seriam comoediae dictionem pronuntiabant: sinistrae et Serranae acuminis levitate jocum in comoedia ostendebant" — quocum consentiunt in praefatione ad Adelphos haec: „modulata est autem tibiis dextris, id est Lydiis, ob seriam gravitatem qua fere in omnibus comoediis utitur hic poeta." Secundum Donatum ergo dextrae sive lydiae gravis sunt soni, sinistrae et sarranae acuti. Quod exceptis sarranis plane contrarium est, ut priore parte disputationis copiosius est expositum. Quomodo sibi finxerit sententiam suam Donatus levius est quaerere neque sciri omnino potest distinctius; porro ut discrimen sinistrarum et dextrarum tibiarum nesciret, id jam satis habet offensionis, sed quum tantum prisca Romanorum fuerit distinctio quae mox evanuit, multo minus vituperandum est quam ut de graeca musicorum arte per totam antiquitatem florente tam falsam haberet sententiam, ut altissimum ejus sonorum genus lydium gravissimum posset judicare. Hanc falsam de musicis sententiam etiam intulit didascaliis et mutavit quae non convenerunt: ad Eunuchum „tibis duabus dextris" quae invenit errore sic scripta putavit, quum intelligeret „mit zwei tiefen Flöten" et ipsa Eunuchus jocosior esset. Posuit igi-

tur unam saltem jocosam (sinistram) tibiam et unam dextram interpretaturque hanc suam lectionem verbis „ob jocularia multa permixta gravitate.“ Si tale quid statuendum est, nulla unquam comoedia duabis acuti soni tibiis acta esse potest, quoniam, quod jam saepius monui, nodus in quaque comoedia necessarius sit isque semper adducat severiorem quandam affectionem. — Ad Phormionem pro codicum „tibis inparibus“ Donatus dat „tibiis Serranis“; jocosum igitur putat argumentum fabulae, quod tamen non ita est, ut imparcs tibiae codicum probant. Donatus verba „pares“ et „impares“ non recta significatione accepisse videtur secundum rationem qua agit cum „paribus“, et ita fortasse se habet res: Falso intelligens paritatem tibiarum in eo positam putavit Donatus, ut pariter essent distributae tibiae totidem cujusque generis, et si duae tantum sunt tibiae et duo genera, una tibia utriusque generis; impares vero duxit duas ejusdem generis, quum impar esset distributio nisi utrique generi aliquid erat attributum. Cur autem pro imparibus (sua sententia) ipsas sarranas hoc loco sibi elegerit quaestione attingi non potest; videbantur ei sine dubio aptissimae omnium ad argumentum fabulae. — Ad Hecyram Donatus reddit sine mutatione sive additamento Bembini tibias pares. Et omnino in hac praefatione satis integra et non mutata exstat didascalia, et toto praefatio, quam ob bis exactam fabulam longiorem esse futuram jure exspectes, breve modo continet spatium. Pertinent vero Donati in praefationibus expositiones praecipue ad graecam fabulam et rationem qua converterit eam Terentius; et ad Hecyram de hac re multa disserere non potuit, quum prologi conservati nihil illuc spectans contineant et quam affert graeca fabula ei ipsi videatur dubia. — Adelphi secundum codices sociata est „tibis sarranis“, secundum Donatum autem, qui ad Phormionem sarranas dat pro imparibus, „tibiis dextris id est Lydiis ob seriam gravitatem qua fere in omnibus comoediis utitur hic poeta.“ Quam levibus verbis utitur ad interpretandum suum „tibis dextris!“ in universum diserte dictis sed ad rem ipsam dilucidiorem reddendam nihil fere valentibus. Videtur Donatus duas acutas tibias non aptas putavisse Terentii comoediis, quippe quae omnes lasciviorem Plautinae comoediae sonum non habeant, itaque musicorum genus ex sua sententia mutavisse. Sed poetam comicum „seria gravitate fere semper uti“ et per se inauditum est et Terentii ipsius exemplo refutatur, cujus fere omnes comoediae sereno quodam habitu excellunt. Donatus semper spectavit ad Plautum contrarium Terentio, et quum in Terentii comoediis petulantes desiderentur facetiae neque perpetuus cachinnus spectatorum commoveatur, quum — ut paucis dicam — Terentius in stataria, Plautus in motoria comoedia excellat, existimavit fabulas Terentianas nullo modo jocosissimis musicis sociatas esse potuisse, non animadvertens

musicorum genus apud Terentium dependere a magis aut minus hilari totius fabulae sono, et etiam in temperanti quem Terentius soleat prae se ferre habitu discernendos esse diversos gradus severitatis et hilaritatis. Persuasum sibi habuit motoriae comoediae convenire jocosos, statariae graves modos. Sed quid tum de tragoedia? Discrimen inter musica tragoediae et statariae comoediae intercessisse necesse est, sed si jam statariae comoediae graves adjudicantur modi, plane eodem musicorum genere erat sociata tragoedia. Immo ita distinctio erit facienda: tragoedia semper tibiis gravis soni acta est, comoedia semper acuti. Jocosissima comoedia motoria acutissimas et paene bacchantes tibias altissimi vocum generis lydii habebat, comoedia stataria item alti soni tibiis agebatur, sed mediae altitudinis — fere ut phrygium genus. Discrimen inter dextras et sinistras non idem est atque inter lydias et dorias, quod jam ex eo elucet, quod apud Terentium dextrae praecipue inveniuntur; si enim ita esset, Terentii comoediae statariae plerumque bacchantibus et petulantibus tibiis essent actae. Immo solo hoc dextrae et sinistrae inter se differunt, quod illae acutum alterae gravem sonum edunt sine omni accuratiori generis vocum determinatione. Ad motoriam altissimae dextrarum tibiae dabantur sive lydiae sive (mea sententia item acutissimi soni) sarranae. Adelphi vero sarranis est acta, quia propius accedit ad motoriam.

G r a e c a m f a b u l a m semper initio praefationis pertractat Donatus, sed tamen verisimile est eam ut in didascaliis codicum nostrorum sic in ejus codice post musica fuisse positam. cf. p. 50. In graeca fabula consentit Donatus cum manuscriptis praeter Hecyram; de qua vide p. 40 sqq.

Quae sequitur octava pars n u m e r u s f a b u l a e a Donato falso est intellecta, qui eam spectare ad actionem malit verbis indicans „edita" (et est quidem actio fabulae certo sensu ejus editio) et in praef. Adelphorum „acta." Quibus verbis exponit „facta" in codicibus, quod item eum legisse, non „acta", verba „factaque et edita". in Hecyrae praef. faciunt indubitatum. — Ipse numerus diversa ratione exprimitur: ad Eunuchum legis „tertium" ad Phormionem „quarto loco" ad Hecyram „quinto loco" ad Adelphos „secundo loco." Quorum offendit „tertium" quod scriptum est ad Eunuchum. Adductus est ad usurpandum hoc verbum fortasse Donatus applausu, quo secundum Suetonii vitam est excepta Eunuchus, paullo ante in praefatione sic ab eo descripto: „et acta est tanto successu ac plausu atque suffragio, ut rursus esset vendita et ageretur iterum pro nova." Intellexit igitur fortasse numerum III de triplici fabulae actione. Sed quidquid cogitaverit certum ex eo est: legit numerum III. — Quod in Hecyrae praef. invenitur „factaque et edita" Geppertus p. 579 emendare conatur in „facta quod est edita" — plane inutile et improbabile, quum alias Donatus non ita ver-

bose soleat explicare, sed potius explicans ipsum ponat pro explicando verbo. Congeries autem verborum „facta et edita“ quamvis per se nullius momenti optime cadit in sermonem periphrasticum. — Ordo fabularum hoc numero constitutus apud Donatum paullum discedit ab eo quem secundum codices posui. Quod vel ex eo pendet, quod Adelphi secunda acta inducitur fabula. Sed ipsa dictio rei quae affertur verbo „dicunt“ demonstrare videtur ut Donatus ipse haud ita certam eam sibi habuerit persuasam. Et omnino animadvertendum est Donatum alias clare atque distincte loquentem ubi multum discedit a codicibus incertiore verbo uti „dicitur“ sive „dicunt“, quod in primis admirandum est in Hecyrae praef., ubi Apollodori quandam fabulam a Terentio in Hecyram esse conversam contendit sic: „haec fabula Apollodori esse dicitur Graeca: nam et ipsa et Phormio ab eodem dicuntur esse translatae“ — bis igitur eandem incertam dictionem habes; et fere idem in fine Suetonianae vitae a Donato addito observas: „duae ab Apollodoro esse dicuntur comico, Phormio et Hecyra.“ Qua re verbum „dicunt“ in Adelph. praef. demonstrat totam illam Donati notitiam nullius pretii faciendam esse. Cogitari potest Donatum in ea re codicis sui traditionem secutum esse, sed tamen probabilius codicem rectum Bembini ordinem habuisse et Donatum ex sua sententia mutavisse eamque sententiam ita sibi excogitavisse, ut, quum „Adelphoe Terenti“, poetae nomen postpositum, legeret in codice suo, priorum unam fabularum eam putaret. cf. p. 17. Sequuntur enim statim haec verba in praefatione: „itaque sic pronunciatam „Adelphoe Terenti“ non „Terenti Adelphoe“ cet.“ Mutato ita ordine Eunuchus tertia fabula a Donato est facta et Heautontimorumenos, quum Phormio et Hecyra rectum retineant locum (quartum et quintum) et Andria prima sit (ut mox demonstrabo), sexta. Hecyram referri quintam a Donato optime demonstrat, quod jam antea contendi, eum integram omnium trium actionum didascaliam in codice suo habuisse, quoniam Hecyra, si prima valeret actio, secundo loco esset acta.

Ultima pars consules interdum desideratur apud Donatum, ut ad Eunuchum et Adelphos, exstat vero ad Phormionem Hecyram Andriam. Videtur omissa esse tantum negligentia, praesertim ubi longiores sequuntur annotationes numerum fabulae. In ipsis consulum nominibus nulla occurrit discrepantia.

Contuli omnes Donati didascalicas descriptiones summa brevitate, quamvis permulta de iis et de praefationibus in quibus sunt possint dici. Sed suppeditat haec stricta comparatio mihi quaerenti quid praestent Donati praefationes didascaliis. Atque jam clare elucet brevi hoc conspectu eas nullius esse usus ad didascalias, quippe quae ne unum quidem earum locum illu-

striore perfundat luce. Immo crebrae Donati descrepantiae tantum id effecerunt, ut in editionibus perturbaretur totus didascaliarum textus. Atque admittit vir mutationes codicum scripturae ex opinione temere concepta non sine summa absurditate et inconstantia, persaepe etiam mira inscitia *). Qua re omnino dubium est num liceat grave aliquid concludere e praefationibus, et certe si tale vis instituere summa cum providentia tibi agendum erit.

Male igitur res se habet de didascalia Andriae, quae sola in Donati praefatione servata est. In manuscriptis prorsus deest ut jam initio libelli commemoravi. Adjumento vero est hoc loco Donatum exhibere eam tam perspicua forma, ut multo magis sit fide digna quam ceterae fere omnes ejus. Sequuntur enim partes alia post aliam continuae legitimo ordine, et pauca tantum verba, quae tamen minime necessaria et ex ceteris praefationibus pro erroribus Donati sunt cognita, significant periphrasin. Insignem hujus similitudinem prae se ferunt didascalicae enarrationes in praef. Hecyrae item primitivum exhibentes ordinem sine majoribus additamentis — quin tanta est similitudo, ut in utraque posita sit graeca fabula, saltem vestigium ejus verbum „Graeca", antiquissimo loco (cf. p. 50), quod in ceteris omnibus praefationibus evanuit. Interroganti quomodo evenerit ut ipsae duae hae didascaliae a Donato tam integrae sint receptae in hac disputatione responderi non potest: modo id concedas prospere ita evenisse. Sed tamen sola forma brevis et integra atque ordo justus nondum sufficerent omnem dubitationem e nimia Donati negligentia jam satis perspecta nascentem intercipere, nisi etiam per singulas partes cognoscerentur recta fere omnia Donati verba. Judicium autem dirigendum est ad analogiam codicum didascaliarum et Donati ceteras in praefationibus tractationes.

Incipit igitur Donatus satis tractatis graeca fabula argumento partitione fabulae his verbis: „haec prima acta est ludis Megalensibus." „Prima" minime est intelligendum de numero fabulae, quod contra omnem ceterarum praefationum usum contenderet, in quibus nunquam complures partes in unam invenies contractas, praesertim tam longe distantes inter se, sed significat „prima" zuerst — inutile quidem adjectum, sed a periphrastico usu plane non abhorrens.

Aediles tertia pars sunt: M. Fulvius et M. Glabrio; spectant ad annum 587 et pleno nomine sunt M. Fulvius Nobilior M'. Acilius Glabrio. Secundi aedilis praenomen et cognomen afferuntur — solito errore etiam in Phormionis didascalia occurrente.

*) Cujus judicii gravitas fortasse lenienda erit, si Donati scripta denuo secundum codices eduntur, cujus operis curam ni fallor Schopenius suscepit.

Actores secundum Donatum sunt L. Attilius Praenestinus et L. Ambivius Turpio — in quibus miraris solida et justa nomina eo magis, quo saepius alias Donatus discedit in actorum nominibus. Neque ulla valet causa, cur in dubitationem voces hos auctores, qui fere semper inveniuntur in didascaliis Terentianis. Tantum hoc mutandum est, ut L. Ambivius Turpio priore ponatur loco, quem in codicibus semper obtinet. Potuit facillime secundo loco afferri a viro didascalias non verbum pro verbo expressas sed per ambitum enunciatas reddente.

Quinta pars est ita expressa: „Modos fecit Flaccus Claudii filius" — hic quoque antiquissima forma „modos fecit", non „modulatus est", quo postea saepius utitur Donatus. Quomodo de verbis „Claudii filius" sit judicandum jam p. 54 indicavi.

Musica ut ubique apud Donatum summam praebent difficultatem; quid enim facis cum „tibiis paribus, dextris et sinistris?" Jam pridem versaverunt haec mira verba homines doctos: Sola quae posset agnosci interpretatio invenitur apud Salmasium ad Vopiscum p. 494, cui Boeckhius assentit: in vicem tibiae dextrae et sinistrae. Sed haec quoque a sermonis proprietate dubitationem admittit, quum exspectes significatam esse notionem „in vicem;" tum autem res ipsa eam debilitat, quia duae tibiae sinistrae, quamvis tantum ad partem quandam comoediae, cogitari non possunt. In codice suo Donatus tantum horum duorum unum potest legisse: „imparibus" aut „paribus", quorum „imparibus" plane aliena ab hoc loco accipit significatione cf. p. 95. Legit igitur „paribus" et solum „paribus" ut ad Hecyram. Geppertus p. 578 ad eandem hanc sententiam procedit, sed non explicat quomodo orta sit Donati peculiaris explicatio; quod enim commentatoris verba sint de quibus agatur (ita dicit Geppertus) nullam affirmationis vim habet, quoniam etiam commentator commentationes suas certa quadam meditatione debeat conficere. Dixi jam p. 55 Donatum verba „paribus" et „imparibus" falso sensu accepisse; putavit paritatem tibiarum in eo versari, ut pariter distributae sint, par cujusque generis tibiarum numerus exstet. Debuit ergo hoc loco ubi „paribus" legit interpretari „dextra et sinistra", pro eo autem ponit plurali numero „dextris et sinistris", existimans nempe plurium tibiarum cantum fieri ad fabulam. Haud ita egit in tractandis didascaliis, ut primum uno conspectu omnes didascalias complecteretur, tum de singulis disceptaret, sed statim aliam post aliam sibi tractandam ordine proposuit. Quo factum est ut quum Andriam tractaret nondum novisset tantum duas tibias esse sociatas cum cantu in fabulis post vero Eunuchi didascaliam cognitam interpretationem „paribus dextris et sinistris" non iterum proferret, quamvis ad „paribus" in Hecyrae didascalia eandem posset addere. Magna quidem est inscitia quae objici-

tur viro plane nescienti quid sint tibiae dextrae et sinistrae, quid valeant Graecorum vocis genera.

Graecae fabulae vestigium suo loco exstat in verbis „et est tota Graeca", dum de ipsa graeca fabula ut solet initio praefationis disserit Donatus. Constat ex eo Menandri fabulam conversam esse Terentii Andriam ejusdem nominis et legisse igitur Donatum hanc partem „graeca Menandru." Gravissimum in hac re testimonium prologus profert his versibus (9—12), de quibus, quum plerumque falso videantur explicari, longius erit dicendum:

„Menander fecit Andriam et Perinthiam.
Qui utramvis recte norit ambas noverit:
Non ita sunt dissimili argumento, sed tamen
Dissimili oratione sunt factae ac stilo."

Tum fatetur poeta se nonnulla ex Perinthia transtulisse in Andriam. Et in hac ratione deprehendit Luscius Lanuvinus contaminationem, quam ei statim in hac fabula, tum in pluribus aliis maligna commotus invidia exprobravit. Verba citata Terentii de Menandri Andria et Perinthia gravissima diligentiorem poscunt quaestionem, praesertim quum scholia Donati iis addant magni momenti enarrationem hanc: „Prima scena Perinthiae paene iisdem verbis quibus Andria scripta est; caetera dissimilia sunt exceptis duobus locis, altero ad versus XI, altero ad versus XX, qui in utraque fabula positi sunt." Jam vides repugnantiam? Terentius dicit argumentum idem, formam autem diversam esse, Donatus contra memorabilia refert exempla perfecte paris formae. Sed priusquam has inter se pugnantes sententias conor comparare et conciliare, obiter dicere liceat de verbis versus 11 prologi: „non ita dissimili sunt argumento sed tamen" tradunt codices, quod plane nequit accipi propter metri leges. Qua re Faernus ex „argumento" efficere „argmento" voluit elisione, a Bentlejo refutatus demonstrante u in „argumento" longum esse neque igitur posse elidi. Correxit Bentlejus „et tamen" pro „sed tamen", quod elegantius legatur, quum jam Donatus observet non posse poni „sed tamen" nisi antecedente „quidem." Contra eum Godofredus Hermannus opusc. II. p. 269. 270 contendit demonstrans „sed tamen" non antecedente „quidem" dici vel apud ipsum Terentium alio loco *), tum „et tamen" scribi non posse, pro eo autem „attamen" scribendum esse. Sed simplicior mihi videtur alia scriptura, quae etiam recentiorum trium codicum auctoritate probatur, sola levi transpositione unius verbi nata: „non ita sunt dissimili argumento, sed tamen." Quam etiam Bentlejus respexit sic occurrens praeter quod jam est dictum: ineptum esse si „dissimili" duobus deinceps versibus diversa exstet ac-

*) Etiam Stallbaumius ad hunc versum citat locum Livii (VII, 30, 17) qui eodem modo usurpat solum „sed tamen" non posito antea „quidem."

centu metrico, primum „díssimili" tum „dissímili." Quae causa nulla est: potuit enim facile evenire talis diversitas in multarum syllabarum verbis, et ipsa in Bentleji lectione simile quid est in verbo „argúmento", quod idem v. 6. non multum ante alio pronunciatum est accentu metrico „árgumentum." Praeterea in Eunuchi prologo v 10. et 12. invenis „Thensaúro" et „thénsaurus." Quae tamen si non sufficiunt exempla, quum non plane ejusdem formae sint verba, aliud clarissimum in promptu est in Eunuchi prol. v. 27.

„Si id est peccátum, péccatum imprudentiast."

ubi „peccatum" bis, alterum post alterum, positum, diverso utitur metrico accentu: et tamen „peccatum" brevius est verbum quam „dissimili." Poetae certa lege in talibus rebus non erant adstricti, sed ex sua sententia quod aptum erat versui elegerunt. In universum vero persuasum mihi habeo veteres accentum verbi cum metri accentu conciliavisse ita, ut compages metrica quasi pelluceret, linguae autem forma tanquam vestis ei esset amicta. Recte ergo Fleckeisenius hanc recentiorum trium codicum lectionem recepit in editionem suam. — Sed nondum omnia recte se habent in hoc versu: Verbum „ita" a Westerhovio Bentlejo Stallbaumio (etiam Ihnio quaestiones Terentianae p. 8) explicatum est cum Donato „valde." Quod mihi ineptum videtur: Terentius si dicit „qui utramvis recte norit ambas noverit", plane et perspicue significat simillimum esse argumentum harum fabularum. Tum dicit secundum illorum interpretationem: „non valde dissimile habent argumentum" — determinatio qua ineptiorem non facile inveneris. Mirandum sane est viros illos non maluisse aliam plane aptam interpretationem, qua verbum „ita" idem est quod „itaque" et ex antecedenti facit conclusionem. Tum omnia optime inter se cohaerent neque opus est statuere ellipsin vocabuli „quidem", sed „non ita" concludit ex priore oratione et „sed tamen" producit sermonem sub forma dubitationis.

Tandem revertor ad duas graecas fabulas quae in prologo Andriae afferuntur. Ihnius (in disputatione indicata) agit de ea re et hanc fere judicii summam quaestione consecutus est p. 9: „His rationibus adducor ut credam prius a Menandro scriptam esse simpliciorem fabulam Andriam, quam quum iterum vellet poeta in scena committere, ut posset pro nova venditare, alia orationis forma induit paucisque scenis auxit, quibus pro uno amore duos inferret, reliquo non mutato argumento. Atque eae sunt scenae, quas Terentius in Andriam suam transtulit e Perinthia." Ad longiorem hujus sententiae et ejus argumentorum refutationem in hac disputatione aggredi non licet et tantum haec contra dicere possum: Si ita se haberet res ut Ihnius contendit, tum profecto Terentius plane aliis verbis in ea descri-

benda uti debuisset et in primis dicere non potuisset: „quae convenere in Andriam ex Perinthia fatetur transtulisse.“ Quum enim fabulae secundum Ihnium plane eaedem essent, omnia ex Perinthia „convenere in Andriam“ exceptis duabus personis Charini et Byrrhiae, quas solas translatas esse putat Ihnius. Quomodo autem de iis prorsus in Andria non exstantibus dici possit „convenere in Andriam?“ Si ita vis judicare, omnia ex omnibus comoediis inter se conveniunt. Tum in universum non intelligitur cur Terentius non statim converterit Perinthiam, quae omni ex parte similis erat suae Andriae. Respondet quidem Ihnius p. 9 ann. ita occurrenti orationem qua scripta fuerit Andria magis arrisisse Terentio — quod fere idem valet ac si Terentius verbum pro verbo expresserit graecarum fabularum: immo etiam e turpiore graeca oratione pulchram latinam efficere potuit. Porro quum Ihnius Hecyram et Phormionem (eo auctore ex Apollodoro conversas) alia scriptas esse oratione contendit qua ceteras Menandrum sequentes fabulas, jure interrogatur quomodo de Adelphis res dijudicanda sit; est enim, ut profitetur prologus, pars ejus fabulae ex Diphili comoedia *Συναποθνήσκοντες* sumpta, et etiam in hac parte dissimilem libenter deprehenderis orationem ac stilum — quod vero ipse Ihnius non concedet. Terentii Andria proprie nominata esse debuisset Perinthia, quum re vera eadem comoedia quam Menandri Perinthia esset et sermone tantum imitaretur Andriam. Terentius si tantum duas illas personas e Perinthia transtulisset, certe verbo aliquo ejus rei mentionem fecisset ut in Eunuchi prologo. Neque intelligitur deinde cur Menander, si Perinthia tantum rectractata erat Andria, aliud ei indiderit nomen — videretur enim voluisse frustrari spectatores. Et generatim denique est opponendum fabulas duas quamvis ejusdem argumenti tamen posse plane dissimilis orationis esse, dummodo justo sensu accipias illam argumenti paritatem: exitus et oecomia fabulae, personae et conditio earum — haec omnia eadem esse possunt et tamen duae dissimiles ex iis fabulae exaedificantur.

Terentii in prologo verba clare demonstrant argumentum duarum illarum fabularum idem, fabulas ipsas autem diversas esse. „Argumentum“ est quod nostro sermone dicitur „Fabel des Stücks“, „stilus“ enunciatio grammatica et dictio, tum quod reliquum est in notionem „orationis“ cadit, scilicet argumenti dispositio in singulas sententias, quibus indutus est stilus. Ita etiam scholia recte explicant: „orationem in sententiis, stilum in verbis, argumentum in rebus esse dicunt.“ Habebant igitur Perinthia et Andria eundem statum, eundem nodum, eandem personarum conditionem — sed tamen prorsus diversae inter se erant. Verba „quae convenere“ his praemonitis facile intelliguntur: ubi poeta sibi visus est invenire in Perinthia scenam

quandam melius expositam sive discrimen gravius magis in lucem prolatum, transtulit in Andriam.

Affert scholiastes verba illa quae supra posui ad „utramvis", putans nimirum Terentium significare verbis suis locos in utraque comoedia pares. Primam scenam Perinthiae paene iisdem verbis quibus Andriae scriptam esse nimium est dictum, ut e verbo adjecto „paene" satis apparet; pro eo magis cogitanda est paritas argumenti et sententiarum illius scenae. Prima scena expositionem argumenti quum contineret et argumentum idem in utraque fabula esset, expositionem quoque simillimam ori oportuit: brevis enim expositio non admittit eam sententiarum varietatem, quam plures personae de eadem re proferre possunt. Concedenda est igitur illa paritas in sententiis, stilus vero in utraque profecto erat diversus. Praeterea duo loci undecim et viginti versuum in utraque comoedia Menandri positi sunt scholiasta auctore. Quod non credibile videtur, quum cogitari non possit poetam in duobus operibus ejusdem generis — in duabus comoediis — satis multorum versuum complexiones prorsus easdem posuisse. In epico genere apud Homerum tale quid certe reperitur, sed tantum certis conditionibus, sive nuncium ferat aliquis sive mandatum conficiat alia; si tamen alias inveniuntur, alterum ex altero plerumque est interpolatum. Longiores repetitiones versuum in eodem libro Homeri desunt, in duobus diversis libris jam potius occurrunt: sed teneas oportet animo carmen epicum deinceps continuum recitari sive ῥαψῳδεῖσθαι et repetitionem neminis attentionem commovere, omnino in epica poesi permultas esse fixas loquendi formas. Dramatica autem poesis tale quid non admittit, et quum a pluribus personis certis vestibus indutis et in certa regione degentibus agerentur fabulae, singula verba infixa haerebant animo auditorum. Accedit porro quod Menander tali negligentia sibi ipse nociturus et laudem poeticam praestantia sua adeptam comminuturus fuisset. Quibus omnibus causis adducor ut existimem Donati verba hic quoque haud ita esse premenda. Erant fortasse duo plurium versuum loci valde similes inter se et etiam ejusdem interdum stili. Donatus autem sive is ex quo hausit nimis extollens perfecte pares eos finxit — et ut in prima Perinthiae scena „paene" incerti animi testis est, item hic tale incertum verbum deprehendis „ad" utrique numero appositum. Quomodo ejus rationis incerta verba apud Donatum sint explicanda jam saepius, in primis p. 57, commemoravi. Sequitur deinde ex hac incerta oratione eum nullo modo locos illos ex ipsa Perinthia fabula ad manum posita sumpsisse, sed, quod minimum est, multum ante legisse. Potest vero etiam esse ut vetustioris cujusdam interpretis sententiam reddiderit — et sic statuendum erit.

Post graecam fabulam legi solet **numerus fabulae**, qui tamen hic deest, et quod ad eum pertinet „facta" ad consules est sumptum, explicatum ut plerumque apud Donatum verbo „edita." Post „facta" in primitiva didascalia erat scriptum I. sive „prima", vita enim Suetonii exhibet „ex quibus primam Andriam quum aedilibus daret cet.;" tum etiam Donati verba „ob incognitum adhuc nomen poetae" pro eo stant comparata cum praefatione ad Adelphos, secundam fabulam apud Donatum, ubi exstat: „etiam tum rudi nomine poetae." Praeterea etiam chronologia ceterarum fabularum in Donati praefationibus idem probat et Terentii prologus. Attamen ex ipso hoc prologo conclusum est a recentioris temporis grammaticis Terentium ante Andriam jam plures confecisse comoedias. Nam scriptum ibi est v. 5.:

„Nam in prologis scribundis operam abutitur."

Jam Tanaquillus Faber, cui Geppertus p. 579 assentit (et praeterea contendit Donati didascaliam ad secundo actam Andriam spectare!), tum Westerhovius et, ut e silentio ejus conjicere licet, Stallbaumius pervenerunt ad hanc non tam difficilem conclusionem, ut ante Andriam jam plures prologos scripserit poeta, ergo plures docuerit fabulas. Sed antequam certe et perspicue traditae antiquitatis (Suetonii Donati) opinioni adversarentur hi viri, tentare profecto debuerunt aliam explicationem, neque multa ad eam opus est meditatione. Videas quaeso num recte sic enucleari possint prologi verba: „quom primum" quod invenitur v. 1. non semper dicitur de re jam diu peracta, sed non minus potest significare rem paullo ante actam et „primum" idem est ac „nunc primum." Scriptus nimirum est prologus prius quam dictus, productus in scenam, ergo tempora perfecta „adpulit" et „credidit" plane recto inveniuntur loco. Etiam odiosorum verborum „in prologis scribundis" ratio satis expedita est: dicta sunt non de prologis jam ante scriptis, sed prorsus ut compositum in germanico sermone verbum „beim Prologschreiben", ubi non unus intelligitur prologus vel duo (omnino certus numerus), sed omnes quot unquam scribit poeta, „der Prolog" in universum, quod latine libenter exprimitur numero plurali. Surgit fortasse jam nunc poetae suspicio se cum malivolo illo vetere poeta semper habiturum esse aliquid rixae (cf. Heaut. prol. v. 33. 34). Versus 4 „verum aliter evenire multo intellegit" ad oculos demonstrat Terentium alios fabularum casus nondum expertum esse; nam si jam plures egerat fabulas legitimis (quum nondum surrexissent inimici) prologis instructas, omni modo significare illud prius tempus ut contrarium praesenti quovis verbo, fortasse „nunc", debuit. Atque etiam ex fine prologi, ubi precatur aequos et otiosos spectatores, cognoscitur poeta primam edens fabulam, a cujus eventu omnia pendent.

Plane indubitatum igitur videtur Andriam primam Terentii fabulam fuisse. Modo hanc tollere repugnantiam restat, ut Terentius si primam hanc dedit fabulam non statim potuerit sese purgare a vituperationibus ejus: Etiamsi non notus esset Romanorum mos opera poetica primum coram amicis recitare, unde etiam in inimicorum cognitionem facile pervenerunt, et si non Suetonii vita ipsam Andriam ita recitatam esse distincte traderet, tamen exstat, quod prospere ita evenit, locus omnem tollens dubitationem in Eunuchi prol. v. 20:

„Menandri Eunuchum postquam aediles emerunt
Perfecit sibi ut inspiciundi esset copia."

Quod cum Eunucho fecit vetus malivolus poeta, cur non idem cum Andria fecisse potest? Inspexit igitur nescio quomodo, postquam ad agendum est accepta, fabulam et ante ipsam actionem acerbissime perstrinxit novum poetam. Modo hoc teneas fieri potuisse ut fabula jam ante actionem cognosceretur — id valet hoc loco. Apertum deinde est prologos jam confecta comoedia esse additos, ut omnes praefationes tum demum possunt scribi quum ea quorum praefationes sunt jam perfecta exstant: quamvis enim quisque scriptor prius excogitatam habeat rem quam literis mandet, tamen in ipso libro aliam accipiunt formam sententiae. Certe etiam suspicari licet Terentium ad Andriam jam confecisse prologum solitam enarrationem ante actorum complectentem, tum vero ab inimico lacessitum necessarium judicavisse Luscii Lanuvini injurias ad populi aures vulgatas sibi arcere, itaque primo intercepto prologo novum polemicum pro eo dedisse.

Denique etiam consules alias saepe omissi a Donato integri ad Andriam referuntur: „M. Marcello Cn. Sulpicio coss." M. Marcellus eodem modo ut M. Glabrio supra aedilis praenomine et cognomine citatur, pleno nomine hoc inditus: M. Claudius Marcellus; et plenum collegae nomen est: C. Sulpicius Galba, ubi Donatus „Cn." pro „C." errore exhibet. Sunt vero justi consules anni 587, ejusdem anni ad quem spectant aediles M. Fulvius et M'. Acilius a Donato recte allati. Qua re nulla omnino valet causa, cur dubitari possit de hac chronologica Donati descriptione.

Principalis igitur forma didascaliae ad Andriam quam secutus est Donatus sic constituenda est:

Andria Terenti. acta ludis megalensibus M. Fulvio M'. Acilio aedilib. curulib. . egit L. Ambivius Turpio L. Hatilius Praenestinus . modos fecit Flaccus Claudi . tibis paribus tota . graeca Menandru . facta I. M. Claudio C. Sulpicio cos.

VITA AUCTORIS.

Alfredus Kohl natus sum Harzgerodae, oppidulo Anhaltino in silva Hercynia sito, die III. mensis novembris a. MDCCCXLIII patre Francisco matre Guilelma e gente Steigertahliana, quos adhuc superstites Deus optimus mihi servavit. In fidem evangelicam sum receptus. Jam Harzgerodae prima elementa linguarum didici ita, ut quum inde auctumno a. MDCCCLVI Bernburgum sum missus ad frequentandum gymnasium Carolinum rectore Franckio florens quartae classi adscriberer. Ineunte aestate a. MDCCCLXII maturitatis testimonium adeptus Bonnam profectus sum, ut ibi philologicis studiis imbuerer, et Delii Jahnii Ritschelii Schmidtii scholas summa cum voluptate frequentavi: sed jam post unum semestre ibi peractum reliqui eam universitatem et Berolinum me contuli, ubi audivi Boeckhium Geppertum Gruppium Hauptium Helfferichium Huebnerum Jordanum Lepsium Mommsenium Steinthalium Trendelenburgum per quinque semestria, tum aestate hujus anni Halas migravi et in hac alma matre literarum scholis Bergkii Bernhardii Pottii Zacheri interfui.

Omnibus his viris, quorum opera et exemplo rectam studiorum rationem cognovi, gratum animum semper habebo.

THESES.

1) Jam satis dirarum atheteseon Horatio immiserunt critici.

2) Sub Horatii carmine I, 14 falso intelligunt nonnulli latere comparationem rei publicae cum nave.

3) Horatii carmen I, 20 non aliter poeta dignum cogitari potest ac si epistolae qua Maecenas invitatur ad visendum Horatium adjunctum jocose fuisse statuitur.

4) Studendum est ut grammatica quae dicitur comparativa explorata recipiantur in disciplinam grammaticalem scholarum.

5) In ducenda sunt in gymnasia studia veteris linguae germanicae.

6) Recta carminum Homericorum interpretatio esse non potest nisi adjutante grammatica comparativa.

7) Cuique philologo librorum Lessingii studium plane necessarium est.